

Porro verisimile prorsus est Salomonem ita latos, vicinos et appositos fecisse hos altaris gradus, ut sacerdoti nullum in eis esset cadendi periculum, et si quo casu cecidisset, non tamen revelanda fuisse ejus verenda, nec a populo corni potuisse, graduum amplitudine eum obtegente, et visum populi excludente. Denique nonnulli hæc loca ita conciliant, ut dicant altare Salomonis præcise sumptum trium tantum fuisse cubitorum altitudinis, uti fuit Mosaicum, ideoque nullos habuisse gradus, quibus ad illud ascenderetur. Dicitur tamen in *Paratipomen.* octo fuisse cubitorum altitudinis, si videlicet altare mensures cum suis substructionibus, quibus quasi basibus incumbat, et supra quas magnifice eminebat. Quare ad ipsas substructiones per gradus ascendere oportebat, ex substructionibus vero ad ipsum altare præcise sumptum gradibus non erat opus. Sed ut hoc verum sit, hæc responsio non evitat difficultatem cause. Nam in gradibus substructionis potuissent videri

Substructiones altaris.

verenda sacerdotis, æque ac in gradibus altaris.

Hinc altare dicitur ab altitudine, ait Festus, quasi alta ara. Veteres enim diis superis sacra faciebant in ædificiis a terra exaltatis, diis vero terrestribus sacra faciebant in terra, diis denique infernalibus sacra faciebant in effosa terra.

Allegorice, in SS. Trinitate nulli inæqualitatis gradus sunt constituendi, uti fecit Arius, docens Filium esse minorem Patri, ac Macedonius, negans divinitatem Spiritus Sancti: hi ergo per gradus ascenderunt ad altare, id est, ad Deum, ideoque a Deo rejecti et reprobatii sunt.

Tropologice: « In altari cordis tui non facias gradus, id est, non extollaris de tuis profectibus, alioqui revelabitur turpitudine tua, quia superbiam mentis comitatur contumelia carnis, » inquit Rupertus. Solet enim Deus superbiam punire per lapsum carnis et libidinis, ut per eam tam pudendam et probrosam, se suamque infirmitatem agnoscant, et humiliantur qui nimis alta de se sapiebant.

Altare quasi altitudo.

Allegorice.

Deus non peribit per legem carnalis.

## CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

Moses in Sina a Deo accipit præcepta judicialia circa servos et ancillas, circa furta, homicidia, parentum maledicta et rixas; ac, vers. 24 et seq., fert talionis legem tam homini ledenti, quem bovi corrupteta.

Nota. Sicut capite præcedenti sancit Deus præcepta moralia, puta Decalogum, ita hoc capite et duobus sequentibus sancit præcepta judicialia; capite vero 23, et quinque sequentibus sancit caeremonialia, puta fabricam tabernaculi, et cætera quæ eo spectant.

1. Hæc sunt judicia quæ propones eis. 2. Si emeris servum Hebræum, sex annis serviet tibi; in septimo egredietur liber gratis. 3. Cum quali veste intraverit, cum tali exeat: si habens uxorem, et uxor egredietur simul. 4. Sin autem dominus dederit illi uxorem, et pepererit filios et filias, mulier et liberi ejus erunt domini sui; ipse vero exhibit cum vestitu suo. 5. Quod si dixerit servus: Diligo dominum meum et uxorem ac liberos, non egredietur aures ejus subula; et erit ei servus in sæculum. 6. Si quis venderit filiam suam in famulam, non egredietur sicut ancillæ exire consueverunt. 7. Si quis venderit filiam suam in famulam, non egredietur sicut ancillæ exire consueverunt. 8. Si displicerit oculis domini sui cui tradita fuerat, dimittet eam; populo autem alieno vendendi non habebit potestatem, si spreverit eam. 9. Sin autem filio suo desponderit eam, juxta morem filiarum faciet illi. 10. Quod si alteram ei acceperit, providebit puellæ nuptias, et vestimenta, et pretium pudicitia non negabit. 11. Si tria ista non fecerit, egredietur gratis absque pecunia. 12. Qui percuiderit hominem volens occidere, morte moriatur. 13. Qui autem non est insidiatus, sed Deus illum tradidit in manus ejus, constituam tibi locum in quem fugere debeat. 14. Si quis per industriam occiderit proximum suum, et per insidias, ab altari meo evelles eum, ut moriatur. 15. Qui percuiderit patrem suum aut matrem, morte moriatur. 16. Qui furatus fuerit hominem, et venderit eum, convictus noxæ, morte moriatur. 17. Qui maledixerit patri suo, vel matri, morte moriatur. 18. Si rixati fuerint viri, et percuiderit alter proximum suum lapide vel pugno, et ille mortuus non fuerit, sed jacuerit in lectulo: 19. si

surrexerit, et ambulaverit foris super baculum suum, innocens erit qui percuiderit, ita tamen ut operas ejus et impensas in medicos restituat. 20. Qui percuiderit servum suum, vel ancillam virga, et mortui fuerint in manibus ejus, criminis reus erit. 21. Sin autem uno die vel duobus supervixerit, non subjacebit pœna, quia pecunia illius est. 22. Si rixati fuerint viri, et percuiderit quis mulierem prægnantem, et abortivum quidem fecerit, sed ipsa vixerit, subjacebit damno, quantum maritus mulieris expetierit, et arbitri judicaverint. 23. Sin autem mors ejus fuerit subsequuta, reddet animam pro anima. 24. oculus pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede. 25. adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore. 26. Si percuiderit quisquam oculum servi sui aut ancillæ, et luscus eos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo quem eruit. 27. Dentem quoque si excusserit servo vel ancillæ suæ, similiter dimittet eos liberos. 28. Si bos cornu percuiderit virum aut mulierem, et mortui fuerint, lapidibus obruetur, et non comedentur carnes ejus; dominus quoque bovis innocens erit. 29. Quod si bos cornupeta fuerit ab heri et nudius tertius, et contestati sunt dominum ejus, nec recluserit eum, occideritque virum aut mulierem; et bos lapidibus obruetur, et dominum ejus occidit. 30. Quod si pretium fuerit ei impositum, dabit pro anima sua quicquid fuerit postulatus. 31. Filium quoque et filiam si cornu percuiderit, simili sententiæ subjacebit. 32. Si servum, ancillamque invaserit, triginta siclos argenti domino dabit; bos vero lapidibus opprimetur. 33. Si quis apernerit cisternam, et foderit, et non operuerit eam, occideritque bos aut asinus in eam, 34. reddet dominus cisternæ pretium jumentorum: quod autem mortuum est, ipsius erit. 35. Si bos alienus bovem alterius vulneraverit, et ille mortuus fuerit, vendent bovem vivum, et dividunt pretium; cadaver autem mortui inter se disperient. 36. Sin autem sciebat quod bos cornupeta esset ab heri et nudius tertius, et non custodivit eum dominus suus; reddet bovem pro bove, et cadaver integrum accipiet.

Vers. 1. Judicialia præcepta quæ propones eis.

1. HÆC SUNT JUDICIA QUÆ PROPONES EIS. — « Judicialia » vocat præcepta judicialia, quæ Deus hisce tribus capit., puta XXI, XXII, XXIII, præscribit ad populum iuste et pacifice gubernandum, atque ad lites inter Hebræos dirimendas; sicut caeremonialia præcepta vocantur ea, quæ populo ad Deum rite colendum per sacrificia, aliosque sacros ritus et caeremonias, a Deo præscripta sunt: in duobus ergo proprie consistit ratio judicialium præceptorum, inquit S. Thomas, I II, *Quæst.* CIV, art. 1, primo, ut pertineant ad ordinationem hominum ad invicem; secundo, ut non habeant vim obligandi ex sola ratione, sed ex institutione Dei.

Nota, inter hæc judicialia præcepta, quædam etiam moralia, quæ sunt juris naturæ, permisceri, maxime quæ ad iudices spectant, quæ idcirco etiam recte « judicialia » vocantur: tale est illud cap. XXIII, vers. 1: « Non suscipies vocem mendacii; » et vers. 2: « Non sequeris turbam ad faciendum malum; » et vers. 7: « Mendacium fugies; » et vers. 9: « Peregrino molestus non eris, » etc.

Denique in fine, puta cap. XXIII, vers. 14, adjungit quædam caeremonialia præcepta, puta de tribus primariis festis celebrandis, de phase, de fermento, de primitiis, etc.

2. SI EMERIS SERVUM HEBRÆUM, SEX ANNIS SERVIVET

TIBI. — « Servum » vocat, non mercenarium, sed mancipium: ille enim conducitur, hoc emi et vendi solet, q. d. Si emeris Hebræum, ut sit tibi quasi mancipium, hic sex tantum annis tibi serviet, nec ultra servare poterit: nam septimo anno (ita me volente, et dicente hic) liber dimittendus est.

IN SEPTIMO (ANNO) EGREDIETUR LIBER GRATIS. — Nota, hunc septimum annum non esse numerandum ab emptione servi, sed unum atque eundem omnibus fuisse annum remissionis, sicut unus et idem dies erat sabbatum omnibus Hebræis; ergo statum fuit septennium libertatis, continuo unum alteri succedens (sicut unus jubileus continuo succedebat alteri), ita ut septimo quolibet anno hoc recurrente, omnes servi Hebræorum manumittendi essent: quapropter Hebræus, qui primo anno septennii hujus vendebatur in servum, ille sex annis servare debebat; qui vero sexto anno hujus septennii vendebatur, ille sequenti anno, utpote septimo, exhibit liber; simile erat in jubileo, uti dicam *Levit.* cap. XXV. Mysteria septennarii recensere *Deuteronom.* cap. V, vers. 12 (1).

(1) Quod hic dicitur de servorum remissione in anno jubileo, certum est. Non item de eorum remissione in anno sabbatico. Imo Mammonides in tract. *Deservis*, cap. II, et post eum plures jurisperiti recentiores Hebræorum,

Septimus annus libertatis erat sabbaticus et communitatis.

EGREDIETUR LIBER, — ut scias cum non tam servum esse, quam liberum, utpote liberatum a me servituti Egyptia, inaeque servituti additum. Vide Levit. cap. xxv, vers. 39.

3. **CU M QUALI VESTE INTRAVERIT, CUM TALI EXEAT.** — Septuaginta, Chaldaeus, Vatablus et recentiores passim vertunt, *si cum corpore*, id est, solus et solutus, *venierit, cum corpore suo*, id est solus, *exeat*, illudque apte opponitur ei quod sequitur: « Si habens uxorem, et uxor egredietur simul. »

Verum S. Hieronymus hebraice peritissimus, rectius et plenius vertit, acutusque vidit non unum, ut priores volunt, sed duo hic praecipui, scilicet *servum non lacerum aut nudum, nec sine uxore dimitti debere*, ita ut et uxor cum eo fiat libera, et vestis ipsi exenti tam honesta detur, quam habuit dum intraret: hoc enim plane degens erat et congruum. Adde in Hebraeo non esse **וְיָצֵא**, id est corpus, sed **וְיָצֵא**, id est *ata*, hoc est vestis, quae instar alic corpore tegit; quales metaphore Hebraeis sunt usitatae.

4. **SIN AUTEM DOMINUS (HERUS) DEDERIT ILLI UXOREM, ET PEPERERIT FILIOS ET FILIAS, MULIER ET LIBERI EJUS ERUNT DOMINI SUI, IPSE VERO EXIBIT CUM VESTITO SUO, — g. d. Uxor manebit serva hero, a qua uxor data fuerat servo: consequenter hero manebat et proles ejus; partus enim sequitur ventrem, uti habet axioma Juristarum in hac materia. Ita Oleaster, Cajetanus, Lipomanus.**

Videtur hic inter servum et servam dissolutum fuisse matrimonium, tum quia servus faciebat divortium ab uxore et prolihus: servus enim exhibat liber, serva vero cum prolihus manebat serva domini sui; tum quia subditur: « Quod si dixerit servus, diligo dominum meum, et uxorem ac liberos (nolo ab his per divortium divelli), non egrediar liber, offeret eum dominus diis » (judicibus), qui scilicet perforat aurem ejus subula, itaque fiat servus in perpetuum.

Hinc patet in lege veteri valde imperfecta fuisse matrimonia, quando conjuges tam facile separabantur, marito exente libero, soluto et expedito a cura uxoris et liberorum; uxore vero manente serva ejusdem domini, cui domino proinde tam servae, quam prolum ejus educatio et cura incumbebat; nec id mirum: tum enim matrimonium non habebat rationem Sacramenti, ob quam maxime jam in lege nova est plane indissolubile, ex sanctione Christi, *Matth. cap. xix, vers. 5 et 9.*

6. **DUS.** — Hebr. **דָּוָם** *Dolom*, quod Deum qua judicem et gubernatorem omnium, indeque angelos ac judices, qui judicariam et gubernatoriam hanc Dei potestatem participant, signifi-

Intellexerunt septimum annum post initium servitutis, et hoc verisimilimum est. Moses enim nusquam, ubi de hoc re loquitur, hunc manumissionis annum *sabbaticum* vocat, sed semper *septimum*; et ubi de anno sabbatico agit, *Lev. xxv, 4-7*, nil dicit de manumissione servorum.

Servus annis septimo exiit, ut patet hic, et ab heri et uxore.

Vers. 6.

ent. Sic dicitur *Ezod. cap. xxii, vers. 28*: « His (judicibus) non detrahes, et principii populi tui non maledices; » et *Psal. lxxxii, vers. 4*, Deus ad judices ait: « Ego dixi, dii estis, et filii Excelsi omnes. » Cogitent hoc judices, sciuntque se esse deos, ut homines non timeant, sed unum Deum, cujus vires obeant, et cujus auctoritate funguntur (1).

APPLICABITUR AD OSTIUM ET POSTES, — scilicet domus heri; ibi enim, non autem in portarum urbis ostio, ubi considerare solent judices, id fieri debere, patet *Deuter. cap. xv, vers. 12*. Per hanc applicationem servi ad ostium et postes heri significabatur, servum hunc domini heri quasi jugiter et fixe mancipari, ut nunquam domo illa exire posset sine venia heri: ita Theodoretus. Adhuc D. Thomas et Cajetanus, hanc applicationem aurisque perforationem statutam esse servo huic in poenam et ignominiam neglectae libertatis, ideoque eum perpetuo servituti addici.

PERFORABITQUE (DOMINUS) AUREM EJUS SUBULA, — ut hoc symbolo admonetur servus perpetuo obedientia, qua heri mandata excipere et exequi debet. Ita Theodoretus. Rursum hoc symbolo admonetur servus, se multa dura, gravia et molesta heri imperia teneri audire et obire, quae non secus ac subula terebrarent aures ejus. Idem de ancilla statutum est, *Deut. cap. xv, vers. 12*.

ET ERIT EI SERVUS IN SAECULUM. — « Saeculum » non tantum aeternitatem, sed etiam spatium longissimum significat, quod Hebraeis erat 50 annorum. « Erit ergo servus in saeculum, » id est, erit servus usque ad annum 50 jubilei: in jubileo enim omnes servi Hebraei manumittebantur, ut patet *Levit. xxv, 40*: ita S. Hieronymus in cap. 1 *ad Galatas*, ubi addit **עַלְמָא** *olam*, id est saeculum, hic sine *non* scribi, ut significetur saeculum jubilei: nam quando cum *vau* scribitur, saepe significat aeternitatem.

Topologie, servus hic est, qui in activa vita manere vult in hac vita, ut liber fiat in anno septimo, et in jubileo caelesti; hujus auris subula perforatur, dum mens illius timoris Dei subtilitate a predicatore percussit: qua de re vide plura apud S. Gregorium, homil. 3 *in Ezechiel.*

7. **SIS QUI VENDIDERIT FILIAM SUAM IN FAMULAM, —** scilicet eam promissione desponsationis, qua herus filiam Hebraeam emens in famulam, promittit se eam ducturum in uxorem, saltem secundariam.

(1) Aharbanel observat, judices et magistratus non vocari *deos*, nisi respectu loci iudicii, quod hic iudicia exerceant, uti dicitur *Deut. xii, 17*; unde colligere est, iudicia in loco sacro habita fuisse, ubi Deus peculiare quodam modo praesens existimabatur. Ceterum illa, de qua agitur, aurium perforatio etiam apud alios populos Orientales servitutis signum fuit: conf. Petronium, *Satyr. cap. lxxii*; Juvenalem, *Satyr. i, 102*; Xenophontem, *de Exped. Cyri*, lib. III, cap. 1; Plutarchum, *Sympos. lib. II, cap. 1*.

Servus Hebraeus non egredietur nisi cum uxore et filiis.

NON EGREDIETUR (1) SICUT ANCILLA EXIRE CONSUEVERUNT, — puta, sicut servus ex Gentilibus, v. g. Moabit, vel Itumae nate; haec enim semper manebant servae, nec servitute liberabantur in jubileo, nisi pretio redimerentur, ut patet *Levit. xxv, 46*; aut certe nisi illi ab heri excussus esset oculus aut deus: tunc enim ob injuriam et lesionem illi illatam libera exhibat; hoc enim hic sancit Deus in favore fidei et gentis Hebraeorum, ut ita filia Hebraeis pauperulis de nuptiis et statu provideret.

8. **SIS DISPLICITUR OCULIS DOMINI SUI CUI TRADITA FUERAT.** — Hebraice est, *qui sibi eam desponderat*. Recentiores prorsus contrarie vertunt, *qui non desponderat eam*, quia hebraice est **לֹא יָצָא**, per *aleph*, quod est adverbium negandi. Verum familiaris est litterarum *hevi*, ac consequenter *aleph*, cum *vau*, commutatio, et Massoretæ plura, puta quindecim, Scripturae loca notarunt, in quibus **לֹא יָצָא** per *aleph* positum dicitur: pro **לֹא יָצָא** per *vau*, id est *est*, vel *sibi*; et ex illis hunc locum esse unum consentiunt Chaldaei et Septuaginta, quin et Vatablus, ac doctores Rabbinii. Sensus ergo est, quasi dicat: Si dominus qui emit filiam Hebraeam, eam sibi desponderit, sed postea ei displicuerit, tunc dominus dimittere eam debet gratis; vel, ut habet Hebraea et Septuaginta, debet eam redimere, id est servitute eximere, si quidem ea usus sit quasi conjuge; sin autem, redimi faciet eam, id est, vendet vel tradet eam alteri Hebraeo, ea tamen lege ut ipse eam ducat: nec enim populo alieno, id est Gentilibus, eam vendere poterit, ut sequitur. Ita Abulensis (2).

10. **QUOD SI ALTERAM EI (FILIO SUO UXOREM) ACCERPERIT, PROVIDEBIT PUELLE NUPTIAS, ET VESTIMENTA, ET PRETIUM PUDICITIAE NON NEGABIT, — g. d. Si pater praeter filiam quam emit filio, tum in famulam, tum in uxorem, aliam insuper filio uxorem dederit, tum providebit ut priori filiae, scilicet servae, jus suum constet in conjugio; itaque providebit illi primo, nuptias, id est usum matrimonii; sic enim subinde auctores distinguunt nuptias a matrimonio, easque metonymice sumunt pro acta nuptiali vel matrimonii, *g. d.* Providebit pater, ut filius huic suo uxori servae non neget jus copulae conjugalis, sed reddat ei debitum conjugii; patet ex Hebraeo. Secundo, providebit illi vestes congruas. Tertio, providebit pretium pudicitiae, id est, victum et sustentationem uxori debitam. Unde Hebraea, Chaldaea et Septuaginta clare habent: *Victum, vestitum et concubium ei non minues*. Jubet enim Deus ut, licet secunda ab**

(1) Scil. septimo anno. Sed haec lex postea mitigata fuisse videtur: conf. *Deut. xv, 12*; *Jerem. xxxiv, 9* seqq. Vid. Michaelis, *Jus Mosaic.* Pari. II, § 127.  
(2) Per **כִּי יִכְרֶה** Rosenmullerus intelligit quemlibet alium Israelitam qui non sit de domo empitoris, non ejus propinquus. Nam alius gentibus ne poterat, quidem per legem servus Hebraeus vendi, ut notat Josephus, *Antiq. lib. XVI, cap. 1, § 4*.

heri, filio suo superinducatur uxor, priori tamen suae vires, summoque jus constet, in hisce tribus conjugii bonis jam diets; quod si nolit illa tria prestare, tunc gratis dimittit eam, ut sequitur (3).

11. **SI TRIA ISTA NON FECERIT (NON TAM HERUS, QUAM HERI FILIUS), EGREDIETUR (FILIA HEBRAEA EMPTA AB EO IN FAMULAM) GRATIS ABSQUE PECUNIA.** — Coniunctim haec tria accipe. Itaque si filius alimoniam et vestitum praebet filiae Hebrae servae, negaret tamen eidem tertium, libera dimitti debebat filia quam emerat, idque gratis; similiter, si secundum et tertium praestaret, negaret vero primum, aut dato primo renicaret secundum, pari modo filiam debebat dimittere liberam.

12. **QUI PERCUSSERIT HOMINEM, VOLENS OCCIDERE, MORTE MORIATUR.** — Hebraea plenius habent, *qui percusserit hominem ita ut moriatur, morte plectatur*. Statuit enim hic poena talionis et mortis in homicidam voluntarium. Nota: « Percutere » passim in libris positum dicitur: pro **לֹא יָצָא** per *vau*, id est *est*, vel *sibi*; et ex illis hunc locum esse unum consentiunt Chaldaei et Septuaginta, quin et Vatablus, ac doctores Rabbinii. Sensus ergo est, quasi dicat: Si dominus qui emit filiam Hebraeam, eam sibi desponderit, sed postea ei displicuerit, tunc dominus dimittere eam debet gratis; vel, ut habet Hebraea et Septuaginta, debet eam redimere, id est servitute eximere, si quidem ea usus sit quasi conjuge; sin autem, redimi faciet eam, id est, vendet vel tradet eam alteri Hebraeo, ea tamen lege ut ipse eam ducat: nec enim populo alieno, id est Gentilibus, eam vendere poterit, ut sequitur. Ita Abulensis (2).

13. **QUI AUTEM NON EST INDIATUS, SED DEUS ILLUM TRADIDIT IN MANUS EJUS, CONSTITUIT TIBI LOCUM IN QUEM FUGERE DEBEAT.** — Egred. vers. 12 de homicidio voluntario, hic agit de casuali, imo Abulensis putat agi de plane casuali, quod scilicet sine occisoris culpa evenit. Verum hoc non satis consentit antecedentibus et sequentibus.

Dico ergo hic agi de casuali homicidio, in quo tamen aliqua culpa vel negligentia, vel imprudentia, vel etiam vindictae intervenit: huic enim dabatur jus asyli. Similem in locis sacris asyli legem et gratiam homicidae casuali Canones apud Christianos sanxerunt, uti et vice versa eandem negantur homicidae voluntario, eumque de altari extrahi jusserunt, uti hic jubetur vers. 14, ut patet cap. *Inter alia, tit. De immunit. Eccles.*

Nota: Pro Deo illum tradidit in manus ejus, hebraice est, *Deus fecit illum occurrere in manus ejus*, quasi in illo qui occidit non cogitante, fecerit Deus impium in manum aut telum ejus incurere, uti meritis scelerum suorum daret poenas. Sermo enim est hic de homicidio casu, uti et occasione improvisa admissio, ubi prius machinata non fuit caedes aut intentata: tunc enim Scriptura more suo eadem quae contigit, refert in altissimum Dei pro-

(3) In calidioribus Asiae regionibus, ubi pubertas mature adesse solet, frequentior hic mos est, ut pater filio puberi concubinam tradat. De Persis id narrat Chardin, *Part. II, p. 220*, ed. Langlet. Moses igitur caveat, ne talis concubina duxerit tractetur; sed vult potius, ut ea filiae loco habeatur (vers. 9), et, si filius aliam uxorem duxerit, is illi victum (**וְיָצָא**, *carum ejus*), vestitum et concubum maritalem (**וְיָצָא**) non minuat.

videntiam, quae omnes res humanas ordinat ad justam vel penam vel premium. Unde consequens fit, in ejusmodi casibus justam Dei vindictam, praesertim in lege veteri, excubare solitam, ac procurare ut in noxiis et sceleratis casus hic et caedes incideret. Recte ergo haec caedes tribuitur, non tam occidenti, quam Deo, quia effectus non solet tribui causae per accidens, sed causae per se, id est non casui fortunae, aut casuali agenti, qui hunc effectum, puta caedem non intendit; sed deo, qui omnes causas, etiam fortuitas, dirigit, quique eadem hanc quasi penam intendit, et per casum hunc irrogavit impio. Ita Abulensis (1).

15. QUI PERCUSSE PATREM SUUM, AUT MATREM (etiam non lethaliter, ob atrocem impietatem in parentem), MORTE MORIATUR (2).

Post hanc legem, nonnulli Codices et Interpretes subdunt immediate legem de maledicente parentibus. Verum Hebraea anteponebat legem de plagio; ita et Chaldaea, et Latina Complutensia et Romana. Neque mirum in hisce legibus non tam congruum servari ordinem: id enim in multis fieri videmus, ut patet in Proverbiis, Ecclesiaste, Ecclesiastico: scripte enim sunt haec leges miscellaneae, et quasi stylo castrensi.

16. QUI FURATUS FUERIT HOMOINEM ET VENDIDERIT EUM, CONVICtus NOXAE, MORTE MORIATUR. — Haec est poena plagii, id est, furti hominis, sive is liber sit, sive servus; praesertim si is sit Hebraeus: servi enim, aequae ac liberi, caedes morte vindicabatur;

Vers. 16. Furti poena erat mors.

(1) « Locum in quem fugere debeat. Intelliguntur urbes asyli, de quibus Num. xxxv, 6. Fugere debebat talis homicida, ne a Goele arripere. Notum enim est, homicidia apud Hebraeos cognatasque gentes ab eis vindicata esse, qui casum proximo cognationis gradu attingebant; id non sola in casum pietas, sed et avita consuetudo, ac, qui plurimum valet, honor familiae postulabat: ita ut summae quisque sibi ignominiae duceret, caedem cognati non ulcisci. Idem est in hunc diem mos Arabum earumque gentium, quae cum religione Arabum eorum consuetudines susceperunt. De Persis ad testatur Charidin, *Voyages de Arabibus* Arviens, P. III. Cf. Mohammedis Gornanum, *Sur*, xvi, 35. Similiter Moses, quam hanc consuetudinem, ut multas alias, ob ruditatem sive cordis derictem populi Israelitici abrogare non ausus sit, cavet, ne jus illud Goelis humanitatis et aequitatis fines non excederet. Licebat enim Goeli ex consuetudine gentium Orientalium homicidam vel indicia causa nec salutatis iudicibus trucidare, si illum obvium sibi haberet; nec poena Goeli statuta erat, si homicidam fortuitum atque etiam sententiae populi absolutum extra asylum interfecisset. Haec autem lege, qua asyla Moses constituebat, in quibus ab impetu Goelis tutus esse posset homicida, donec de eo populus iudicaret, multa prohibebantur injuria: si enim ille populi sententia homicidium fortuitum commississe censabatur, usque ad mortem summi sacerdotis ei in asylo suo manendum erat, nec ante licebat ad agros laresque suos reverti. Id quod tamen etiam poena fuit: nec enim prorsus inoponitum ferre debebat, si quis casa hominem interemisset. » Haec Rosenmullerus ad h. l.

(2) Ut melius hic versus intelligatur, adhibenda est ipsa Moysi explicatio, quae extat *Deut.* xxi, 18 seqq.

ergo et plagium, maxime quia Hebraei tantum ad tempus erant servi: nam vel anno septimo, vel 30 jubilei fiebant liberi (3).

18. LAPIDE VEL PUGNO, — id est quovis telo, vel modo: communiter enim rixantes lapide, quem obvium habent, vel pugno ictunt.

19. SI SURREXERIT ET ABULAVIT FORIS SUPER BACULUM SUUM, INNOCENS ERIT QUI PERCUSSE, — « Innocens, » id est, immunus et liber a talione et poena mortis, quia hoc indicio, quod percussus post acceptam plagam foris ambulaverit, praesumitur mors ejus non ex percussione, sed aliunde obvenisse.

ITA TAMEN UT OPERAS EJUS ET IMPENSAS IN MEDICOS RESTITUAT. — Hebraice est סכתו scito, id est sedem ejus, id est cessationem et operas perditas, puta lucrum laborum quod lesus perdidit, solvet, et curabit eum sanari. Hebraum enim scito est infinitivus cum affixo, a radice שכב scab, id est sedet. Pagninus tamen scito vocat cessationem, a radice שכב scab, id est cessavit; sed sensus eodem redit: sedere enim est cessare.

20. QUI PERCUSSE RIT SERVUM, ETC., CRIMINIS HOMICIDII, AC CONSEQUENTER POENAE MORTIS REUS ERIT.

21. SIN AUTEM UNO DIE VEL DUOBUS SUPERVIXERIT, NON SUBJACEBIT POENAE, QUIA PECUNIA ILLIUS EST, — q. d. Quia possidetur ab hero percussente, tanquam servus pecunia emptus. Misera erat servorum et servarum conditio, praesertim apud duros heros: unde lex percussoris poenam hic moderatur, ut si herus non tam enormiter percussit servum, ut certa statim sequatur mors, poena non subjacet, quia occidit suum mancipium, quod ipse possidet sicut bovem, vel equum. Hinc et modo Jura civilia corpus servi, perinde ut corpus animalis, dicunt esse pretio aestimabile; corpus autem liberum nullam recipere aestimationem, ut patet leg. ult. ff. De his qui effud. vel de jece.

22. SI RIXATI FUERINT VIRI, ET PERCUSSE RIT QUI MULIEREM PREGNANTEM, — quae inter rixantes intercedere, vel maritum suum adjuvare voluit.

23. SIN AUTEM MORS EJUS (mulieris pregnantis) FUERIT SUBSECUTA, REDDET ANIMAM PRO ANIMA (vitam suam pro vita mulieris, quam occidit), OCCULUM PRO OCCULO, DENTEM PRO DENTE, ETC. — Idem erat iudicium, si percussus non occidisset pregnantem, sed illi prolem jam animatam excussisset, itaque eam necasset. Hic enim, utpote infanticia, perinde reus erat mortis atque matricida. Id disertè significant Septuaginta, qui pro Hebraeo אסון ason,

(3) Palaestina, primaria illis temporibus mercatorum sedes, magis plagio favebat, quam ulla alia terra, et memo tutus fuisse, nisi Moses tam grave supplicium in illud constituisset, multa enim vix absterrisset ab hoc facinore. Plagium autem jam illis temporibus non insolitum fuisse, apparet ex Josephi historia, quae ipsi fratres vendiderunt. Athenis fuit similis lex: conf. Xenophonem in *Memorab. Socrat.* lib. I, cap. II, § 62. Item in jure Romano, *Digest.* lib. XLVIII, leg. 1.

quod Noster mortem vertit, videntur legisse אשון aschon, id est virunculus (uti flandrice puerum vocamus manneken); vertunt enim, אשון aschon, scilicet אשון aschon, id est, si effigatus vel efformatus sit puer, quasi dicant: Si proles perfecta habent membra, aut ut sit plene effigatus, et quasi parvus quidam vir, sive virunculus, tunc qui illum matri pregnantis sua percussione executi, animam dabit pro anima. Id est vitam suam, cujus anima est causa, dabit pro vita prolis, ut, sicut eam excussit et occidit, ita occidatur et ipse. Ex hisce verbis Septuaginta patet factum, simul atque formatum est, animari; ideo enim censetur et punitur hic ut homicida, qui eum excussit: idem docent Medici.

Tropologiam de doctoribus rixosis, qui per suas questiones et lites Ecclesiam et fideles ledunt et scandalizant, vide apud Origenem et Ambrosium in cap. xxii *Luca*.

Exp. hac lege a pari, deinceps generalem in caeteris omnibus inferit Deus talionis legem, dicens: «Oculum pro oculo, etc., q. d. Si quis alteri oculum effoderit, excouletur et ipse; qui dentem excusserit, dentem perdat; qui manum, etc. Quae lex, ait S. Augustinus, lib. XII *Contra Faustum*, cap. xiv: «Vindictae et furoris non fomes, sed limes est justus;» nam, ut ait Tertullianus, lib. II *Contra Marcionem*, cap. xviii: «Licentia retributionis prohibitio erat provocationis;» justum enim pronuntiat Rhadamantus apud Aristotelem, lib. V *Ethicor.*: «Si quis quis fecit injuste, eadem et patiatur,» si videlicet personae sint ejusdem sortis, et aequalis conditionis: nam aliqui si rextu hinc percutiunt, non potest juste ab eo repercuti. Unde et hac lege proxime, vers. 26, excipitur percussus servum. Sic inter leges duodecim tabularum erat et haec: «Si membrum rupit, ni cum eo pacit, talio esto.» Vide Gellium, lib. XX.

26. ET LUSCOS EOS FECERIT, — scilicet eruto alero oculo coeciles, vel unoculos fecerit. Unde Septuaginta vertunt, ἐκκαρῶσεν, id est excaecavit. Idem significant Hebraea. Quare aliter hic capitur luscus, quam capitur vulgo, et in vulgari hoc carmine: Luscus in obliquum, sed strabo cernit in altum, Ore caret orbi, privatur lumine caeci.

28. SI BOS CORNU PERCUSSE RIT VIRUM AUT MULIEREM, ET MORTUI FUERINT, LAPIDIBUS ORBETUR, — non ob bovis culpa. (haec enim esse non potest in brutis), sed ad terrorem et exemplum hominum, ut eo scilicet homines magis ab homicidio absterrentur. Unde etiam hodie porci alioque bestiae, si pueros hominesve occiderint, suspenduntur aut necantur. Similem legem statuit Deus, *Gen.* ix, 5. Eadem de causa veluit Deus hoc versu, ne carnibus bovis homicida vescerentur, ne videlicet animali caede hominis polluto aut foedarentur, aut feritate ejus esu induerent. Porro,

Lex talionis est poena.

Corne non proprie accipitur, sed in latiori sensu.

Vers. 28.

Vers. 28.

quod de bove hic et in seqq. dicitur et sancitur, idem de arietate corruptela, equo calcitroso, omnique bestia, quae hominem occidisset, intellige, hic enim valet argumentum a pari et proportionale.

29. AB HERI ET NUDUS TERTIUS, — a praecedenti v tempore; est synecdoche. Ita S. Augustinus, *Locut.* 93.

CONTESTATI SUNT — bovem esse corruptelam, q. d. Edixerunt bovem esse corruptelam, itaque periculi herum admonuerunt, ut bovem hunc recluderet, ne is aliquem feriret. Romani, teste Plutarcho in *Quaest. Roman.*, ad cornua bouum corruptelarum fenum alligabant, quod obvii monebantur ut sibi ab eo caverent; idque quia ob satietatem luxuriant, petulantisque sunt boves et equi; unde proverbium: «Fenum habet in cornu: Coriu ferit ille, caveto, quod dicitur de homine paralo ad ulciscendum, et oppugnata difficulti, qualis fuit M. Crassus, antequam Caesar ei se opponeret.

NEC RECLUSERIT. — Hebraice, nec custodierit (1).

30. QUOD SI PRETIUM FUERIT EI IMPOSITUM — a iudice, qui causa cognita ob levem ejus negligentiam vel culpam, illi non capitis, sed pecuniae multam imponat, maxime quia parentes et cognati talem multam desiderant, tunc herus hic bovis homicida dabit et solvet hanc multam, sibi a iudice impositam (2).

31. SI QUIS APERUERIT CISTERNAM ET FODERIT. — Vers. 28. Hebraice est aut foderit: perinde enim reus est, qui fossam tectam reteggit et aperit, atque qui recenter eam fodit, si eam rursus non operiat. Haec uti et aliae leges hujus capituli et sequentis transcriptae sunt in jus Canonicum, ut patet lib. V *Decret.* tit. 36 *De injuriis et damno dato*; sunt enim consentaneae juri et aequitati naturae.

32. SI BOS ALIENUS BOVEM ALTERIUS VULNERAVIT, —

ET ILLE MORTUUS FUERIT, VENDET BOVEM VIVUM, ET DIVIDENT PRETIUM; CADAVER AUTEM MORTUI INTER SE DISPARTIENT. — Nota: Haec lex loquitur tantum de eo casu, quo bos bovem occidisset, non autem de eo, quo bos ovem aut vitulum occidisset; tunc enim non erat aequum bovem dividi pro ove aut vitulo, qui minoris est pretii, quam bos; unde tunc iudices multam deberent pro rata damni illati. Quod hic de bove dicitur, idem a pari de arietate, equo et de quovis animali intellige.

Tropologiam vide apud Rabanum, qui haec omnia de discipulo malo ejusque magistro, vel negligente vel insonte interpretatur.

(1) Extat similis lex in *Legibus Salsitis*, tit. iv *De damnis animalium*: «Qui bovem aut taurum aut alium quadrupedem nocentem aut perniciosam habuerit, antequam nocent, jubetur occidere; et si, post denuntiatum vitulum a vicinis, non occiderit, et illud animal aliquem vulneret, vel occidat, tenetur damnum componere ut de homicidio.»

(2) Vers. 31. Per filium quoque et filiam intelligendi sunt juniores (gall. un garçon et une fille), ne quis suspicatur, legem de gradusculis dimittat loqui.

## CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Pergit sancire leges judiciales de furto, vers. 1; de deposito, vers. 7; de commodato, vers. 14; de fornicatione, vers. 18; de maleficiis, vers. 18; de charitate erga peregrinos, viduas et pupillos, vers. 21; de usura et pignori, vers. 23; de decimis et primitiis, vers. 29.*

1. Si quis furatus fuerit bovem, aut ovem, et occiderit vel vendiderit, quinque boves pro uno bove restituet, et quatuor oves pro una ove. 2. Si effringens fur domum sive suffodiens fuerit inventus, et accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis. 3. Quod si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetravit, et ipse morietur. Si non habuerit quod pro furto reddat, ipse venundabitur. 4. Si inventum fuerit apud eum quod furatus est, vivens, sive bos, sive asinus, sive ovis: duplum restituet. 5. Si læserit quispiam agrum vel vineam, et dimiserit jumentum suum ut depascatur aliena, quidquid optimum habuerit in agro suo, vel in vinea, pro damni aestimatione restituet. 6. Si egressus ignis invenerit spinas, et comprehenderit acervos frugum, sive stantes segetes in agris, reddet damnum qui ignem succenderit. 7. Si quis commendaverit amico pecuniam, aut vas in custodiam, et ab eo, qui susceperat, furto ablata fuerint, si invenitur fur, duplum reddet: 8. si latet fur, dominus domus applicabitur ad deos, et jurabit quod non extenderit manum in rem proximi sui. 9. ad perpetranda fraudem, tam in bove, quam in asino, et ove ac vestimento, et quidquid damnum inferre potest: ad deos utriusque causa perveniet; et si illi judicaverint, duplum restituet proximo suo. 10. Si quis commendaverit proximo suo asinum, bovem, ovem, et omne jumentum ad custodiam, et mortuum fuerit, aut debilitatum vel captum ab hostibus, nullusque hoc viderit: 11. iurandum erit in medio, quod non extenderit manum ad rem proximi sui; suscipietque dominus juramentum, et ille reddere non cogetur. 12. Quod si furto ablatum fuerit, restituet damnum domino. 13. Si comestum a bestia, deferat ad eum quod occisum est, et non restituet. 14. Qui a proximo suo quidquam horum mutuo postulaverit, et debilitatum aut mortuum fuerit domino non presente, reddere compelletur. 15. Quod si impræsentiarum dominus fuerit, non restituet, maximo si conductum venerat pro mercede operis sui. 16. Si seduxerit quis virginem necdum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, et habebit eam uxorem. 17. Si pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam juxta modum dotis, quam virgines accipere consueverunt. 18. Maleficus non patieris vivere. 19. Qui coierit cum jumento, morte moriatur. 20. Qui immolat diis, occidetur, præterquam Domino soli. 21. Advenam non contrisabis, neque affliges eum: advenæ enim et ipsi frustis in terra Ægypti. 22. Viduæ et pupillo non nocebitis. 23. Si læseritis eos, vociferabuntur ad me, et ego audiam clamorem eorum; 24. et indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, et erunt uxores vestræ viduæ, et filii vestri pupilli. 25. Si pecuniam mutuum dederis populo meo pauperi qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes. 26. Si pignus a proximo tuo acceperis vestimentum, ante solis occasum reddes ei. 27. Ipsum enim est solum, quo operitur, indumentum carnis ejus, nec habet aliud in quo dormiat: si clamaverit ad me, exaudiam eum, quia misericors sum. 28. Diis non detrahes, et principi populi tui non maledices. 29. Decimas tuas et primitias tuas non tardabis reddere: primogenitum filiorum tuorum dabis mihi. 30. De bobus quoque, et ovibus

similiter facies: septem diebus sit cum matre sua, die octava reddes illum mihi. 31. Viri sancti eritis mihi: carnem, quæ a bestiis fuerit prægustata, non comedetis, sed projicietis canibus.

**VER. 1.** 4. SI QUIS FURATUS FUERIT BOVEM AUT OVEM, ET OCCIDERIT VEL VENDIDERIT, QUINQUE BOVES PRO UNO BOVE RESTITUET, ET QUATUOR OVES PRO UNA OVE. —

*Quæres: Cur fur bovis quinque boves, fur autem ovis non quinque, sed quatuor tantum oves restituere jubetur? Respondet Theodoretus, quia majus furtum majori pena et multa plectendum est: majus autem est furtum bovis quam ovis, quia bos majoris est pretii, quam sit ovis. Cui adde, furem bovis juste adigi ad quintum bovem reddendum, ut per illum sciat damnum, quod bos dominus ob ejus furtum passus est in agricultura; ad hanc enim non servit ovis, sicuti servit bos et equus. Huc allusit Strabo in Glossa, et ex eo S. Thomas, I II, Quæst. CV, art. 2, ad 9: Jubet Deus, inquit, ut fur quinque boves pro uno reddat, quia bos quinque habet utilitates: nam primo, immolatur; secundo, pascit sua carne; tertio, arat; quarto, dat lac; quinto, dat corium. Ovis vero quatuor tantum offert commoda: nam primo, immolatur; secundo, pascit sua carne; tertio, dat lac; quarto, dat lanam. Hæc congruentia est, non causa.*

*Mystice, bos doctorem plebis, ovis auditorem et discipulum significat: hinc qui auferit aut pervertit doctorem, gravius plectitur, quam qui auditorem. Vide Rabanum.*

**VER. 3.** 3. QUOD SI ORTO SOLE HOC FECERIT (FUREM OCCIDERIT), HOMICIDIUM PERPETRAVIT, ET IPSE MORIETUR.

*Nota: Hic sancti Deus ut is, qui diurnum furem occidit, reus sit mortis; qui vero nocturnum occidit, minime: hunc ergo licebat occidere, non illum. Ratio disparitatis est, quia nocturni furis incerta est vis et intentio; nescitur enim an ad furandum tantum, an vero etiam ad occidendum veniat. Rursum, quia noctu fur agnoscitur non potest, ut dominus rem suam ab eo ablatam non potest tam secure repellere aut apprehendere, quam diurnus; de die enim paterfamilias auxilia domestica et vicinorum ad manum habet, eaque statim advocare potest. Eadem distinctio furis diurni et nocturni, quoad ejus occisionem, habetur in jure canonico, Extrav. de Homicidiis, cap. Si perfodiens, ex S. Augustino, quæ ex hac Dei sanctione derivata est.*

*Intellige hæc, si fur tantum agat furem; si enim ulterius gladio aut armis furtum tueretur, æque occidi poterat diurnus fur ac nocturnus. Ita Augustinus, Quæst. LXXXIV, quod etiam sanxit lex civilis, ut videre est leg. Furem, ff. ad legem Corneliam, De scariis.*

*ET IPSE MORIETUR, — scilicet qui furem diurnum occidit; hebraice est, sanguines ei reddendo reddet, q. d. Sanguinem suum dabit pro fuso a se san-*

*guine furis; caso enim (ob injuriam per eodem illi factam) quodam modo sanguis cæcoris debetur. Chaldaeus hæc ad furem refert, vertitque, salvens solvet fur, id est furtum suum restituet. Verum melius Noster et Septuaginta hæc referunt non ad furem, sed ad furis percussorem.*

*SI NON HABUERIT (scilicet fur) QUOD PRO FURTO REDDAT, IPSE VENUNDABITUR. — Hebraei enim suppositum (quale hic est fur) steps subscit, et ex antedictis quasi notum intelligendum relinquant.*

**VER. 4.** 4. SI INVENTUM FUERIT APUD EUM QUOD FURATUS EST, VIVENS, SIVE BOS, SIVE ASINUS, SIVE OVIS, DUP-  
PLUM RESTITUET. — *Nota: vivens et apud eum. Nam, si bovem vel ovem occidisset aut vendidisset, pro uno bove non duos, sed quinque, pro una ove quatuor restituere debebat, ut dictum est, vers. 1. Sin autem vivens animal apud furem reperiebatur, tunc fur pro uno duo tantum restituere debebat. Ratio disparitatis erat, quia in priori casu major erat culpa et injuria, tum quia in eo fur animal non tantum furatus erat, sed et illud occiderat aut vendiderat; tum quia nulla apud eum erat restitutionis spes: quorum utrumque secus erat apud furem, qui animal furto ablatum vivens adhuc delinabat; facile enim multisque modis illud domino restituit, et ad eum redire poterat. Jam vero apud Christianos, utpote quibus majus est crimen furarii, ad coercendam furandi licentiam, atque ad necessariam reipublice pacem, fures, etiamsi rem furatam viventem aut integram servent, juste suspendio plectuntur.*

*Alexander Severus imperator adeo vindex furti fuit, ut, si quem talium videret, paratum haberet digitum, quo ei oculum erueret: imo, quemdam ex honoratis in furto deprehensum mox ex lege crucifigi jusserit. Idem per præconem edixit: « Nemo salutet principem, qui se furem esse noscit. » Idem furti suspitione infames nec intueri suslinebat: adeo ut, cum Septimus Arabinus, qui famosus crimine furtorum sub Helio Gabalo fuerat liberatus, inter senatores principem salutatum venisset, exclamarit: « O numina, o Jupiter, o dii immortales! Arabinus non solum vivit, sed etiam in senatum venit. Fortassis de me sperat? tam fatuum, tam stultum me esse judicat? » testis est Lampridius in ejus Vita. Diogenes apud Laertium, lib. VI, videns duos furem qui phialam ex ærario sustulerat, dixit: « Magni fures parvum ducunt. » Utinam hoc non possit vere dici in magistratus aliquos Christianos, a quibus interdum ad laqueum adigitur, qui decem drachmas sustulit, ipsi impune magnis furtis, vel pecculato potius disceptant!*

*Altem-  
Ar. Imp.  
in fures  
servit-  
tat.*

Nota quod dicitur, «sive bos, sive ovis:» sub his enim a paritate rationis omnia pecora et pecudes, omniaque animalia, tam magna quam parva, intelligenda sunt, inquit Cajetanus.

5. Si LESERIT QUISPIAM AGRUM VEL VINEAM, ET DIMISERIT (id est, ita ut dimiserit, sive dimittendo, ut patet ex Hebræo) IUMENTUM SUUM, UT DEPASCATUR ALIENA, QUIDQUID OPTIMUM HABUERIT IN AGRO SUO, AUT VINEA, RESTITUET.

6. Si EGRESSUS (proserpendo) IGNIS INVENERIT SPINAS, ET COMPREHENDERIT ACERVOS FRUGUM, SIVE STANTES SEGETES IN AGRIS, REDDET DAMNUM QUI IGNEM SUCCENDERIT. — Nota  $\tau\acute{o}$  spinas. Ita enim legendum est, non *spicas*, ut patet ex Hebræo, Chaldo, Septuaginta et Romano. Jubet enim hæc lex, ut si quis negligentia sua igni a se excitato male advigilavit, nec caverit ne proserperet, itaque factum sit ut ignis spinas quæ segetem sepiebant, atque exinde ipsam segetem corripuerit, teneatur de damno: par judicium erat, si ignis corripuisset linum, aut cannabem, vel arbores, etc.

8. Si LATET FUR (qui furatus est commendatum, id est depositum), DOMINUS DOMUS (in qua depositum fuit furto sublatum) APPLICABITUR AD DEOS (ad iudices), ET JURABIT, QUOD NON EXTENDERIT MANUM IN REM PROXIMI SUI, — *q. d.* Si fur aliquis depositum surripuerit, depositarius apud quem res deposita, et cui commendata erat, vocatus in jus venit ad iudices, et iuramento purgabit se, probabitque suam a furto innocentiam.

9. ET QUIDQUID DAMNUM INFERRE POTEST. — Hebr. est, *super omni re perditâ quam dixerit, quia ipsa est*, scilicet quam ego per depositarium perdidit, quasi dicat: Super omni culpa quam depositario imponit.

AD DEOS (id est iudices) UTRISQUE (tam deponentis qui rem suam perdidit, quam depositarii apud quem fuit res furto sublata) CAUSA PERVENIET, ET SI ILLI JUDICAVERIT, DUPLUM RESTITUIT PROXIMO SUO. — Hebr. est, *is quem iudices damnaverit, duplum restituit proximo suo*, quod Cajetanus et alii nonnulli intelligunt de alterutro, quasi dicat: Alteruter, puta vel depositarius qui est reus, vel deponens qui est accusator, si condemnatur, debet luere duplum: depositarius quidem, quia maligne et fraudulenter rem depositam custodivit, imo eam vel furatus est, vel cum fure divisit; deponens vero (si is condemnatur), quia calumniam furti et infidelitatis falso irrogavit depositario, cum is esset innocens.

Verum noster Interpres melius de solo depositario, qui reus agitur, hunc locum explicat, *q. d.* Depositarius qui a iudicibus fuerit furti, vel collusionis cum fure condemnatus, solvet duplum ejus quod sua culpa perdidit, et furto sublatum est. Agitur enim hic de depositario qui reus est: ejus enim est restituere rem depositam, uti hic dicitur; de deponente vero hic non agitur: illi enim si accusator sit, falsoque depositarium ca-

lumnietur, eamdem ex lege talionis subeundam esse penam, non hic, sed *Deut. cap. xix. vers. 19.* sancitur.

10. NEQUISQUE HOC VIDERIT, — qui cavere possit, nullus etiam qui testis esse possit, *q. d.* Si testibus suam innocentiam probare non possit, purget se iuramento, finisque controversiæ sit iuramentum per sanctissimum Dei nomen; hebraice enim additur nomen Dei tetragrammaton.

11. SUSCIPITQUE DOMINUS (herus vel possessor, *Ver. 11.* ut habent Hebræa, ovis, vel animalis perditum) IURAMENTUM.

12. QUOD SI FURTO ABLATUM FUERIT, RESTITUET DAMNUM DOMINO. — Si nimirum ejus, puta depositarii, culpa aut negligentia, res furto ablata sit. Unde hebr. additur, *si de eum ipso*, id est, si ipso sciente vel vidente, vel cum ipse facile scire aut videre et cavere possit (sic enim accipitur *q. d. ipso*, *vers. 13.* uti omnes ibidem vertunt et explicant), res furto ablata sit, tunc rem furto sublata restituere tenebitur: opponitur hic versus præcedenti, in quo addebatur, «nullusque hoc viderit:» loquebatur enim de eo, cui sine culpa res ablata erat; is enim erat insons.

Triplex ergo hic circa depositum est casus, et *Triplex depositi casus ut lo.* lex. *Primo*, si depositarius per fraudem rem depositam interverterit, reddet duplum, uti decernitur *vers. 9. Secundo*, si non admisit fraudem, sed per ejus negligentiam res deposita sublata sit furto, reddet simplum, puta rem ipsam, aut pretium rei restituat, uti decernitur *hoc vers. 12. Tertio*, si sine ejus scitu et negligentia, res secreto furto sublata sit, censebitur innocens, nihilque restituat, uti decernitur *vers. 10 et 11.*

13. SI COMESTUM A BESTIA, DEFERAT AD EUM QUOD OCCISUM EST, ET NON RESTITUIT. — Hebraice hæc est sententia: «Si rapiendo raptum, aut rapiendo laniatum sit, adducet ipsissimum testem, videlicet id quod laniatum est, et non restituat.» Ita Chaldaea, et consentiunt Septuaginta. Unde Noster brevissime et optime verit.

15. QUOD SI IMPRESENTIARUM DOMINUS FUERIT, NON RESTITUET, — quia domino animalis præsentem, minuitur cura et vigilantia commodatarii (de eo enim hic est sermo) qui animal nutuo, id est, ut juridice et distincte loquar, commodato accepit ad usum, quia dominus præsens sub rei curam habere debet: si ergo ipse perire eam sinat, id ei imputetur. Quod si ipse omni sua cura et conatu non possit rem servare, sed ipsa casu pereat, huiusmodi casus ipse sit testis, videatur commodatarii culpa, quam ipse impedire non valet, res pereat, iudices dijudicent an, et quantum restituere teneatur; hoc enim æquitas et justitia postulant.

MAXIME SI CONDUCTUM VENERAT PRO MERCEDE OPERIS SUI. — Hebr. est, *si mercenarium*, id est *conductum fuerit, veniens pro mercede sua*, id est, si commodatarius, vel potius conductor non gratis acceperit animal, sed ejus usum mercede con-

duxerit, et moriatur animal præsentem domino, ad nihil tenebitur. Sin gratis erat animal commodatum in favorem commodatarii, fieri poterat ut is teneretur ad restitutionem; levior enim culpa obligasset commodatarium, saltem *q. d.* Si aliquam rei pereuntis præstandam, quæ non obligasset conductorem, qui non suo solius, sed alterius etiam, puta locantis, commodo contractum talem iniiit, quemadmodum et jam leges civiles graviorem in conductore, quam in commodatario culpam requirunt, ut is ad restitutionem teneatur; in illo enim levem, in hoc tantum levissimam culpam requirunt. Quanquam jus hoc nostrum veteri illi non respondeat per omnia; sunt enim hic multa mere positiva illius temporis, ut quod hic passim ingeritur de presentia domini, cum res perit; illa enim nunc est impertinens, nec quidquam juvat commodatarium aut conductorem.

Tropologice superiori similem vide apud Rabanum.

17. REDDET PECUNIAM JUXTA MODUM DOTIS, QUAM VIRGINES ACCIPERE CONSERVERUNT, — *q. d.* Dabit virgini quam vitavit, tantam dotem, quantum ipsa a patre juxta suam conditionem accepisset; ditioribus enim major dos erat assignanda, quam pauperibus.

Dices: *Deut. cap. xiii. vers. 29.* qui vitavit virginem ad 50 siclos, id est, florenos, præcise damnatur; ergo æqualis omnibus dos erat danda.

Respondeo: *Deuter. de alio casu loquitur*, nimirum si injuria et vis illata esset puellæ, ac per consequens patri ejus; tunc enim ob injuriam parenti illatam, 50 siclos non puellæ, sed parenti pendere debet stuprator, atque insuper tenebatur vitiatam ducere, eamque retinere sine ulla repudiandi spe, uti ibi dicitur. Ita Abulensis. Ibi ergo de stupro et vi, hic de simplici fornicatione agitur.

18. MALEFICOS NON PATIERIS VIVERE. — Hebr. *maleficam non vivificabis*, id est vivere non sines, vel in vita non conservabis, sed vitam ei adimes; sexus enim femineus magis maleficiis sive veneficiis est obnoxius, quam virilis; a pari tamen per maleficam intellige et maleficum (1).

23. SI PECUNIAM MUTUAM DEDERIS POPULO MEO PAUPERI QUI HABITAT TECUM, NON URGERIS EUM QUASI EXACTOR, NEC USURIS OPPRIMES, — Hebr. *non eris ei ut exactor, vel fenerator, et non ponas super eum usuram*, id est usuram; Hebræi enim usuram vocant *נֶשֶׁח* *nesech*, id est *morsum*, quia usura magis quam canis mordet et rodit pauperes.

26. SI PIGNUS A PROXIMO TUO ACCEPERIS VESTIMENTUM, ANTE SOLIS OCCASUM REDDES EI. — Pro vestimentum hebr. est *operimentum*; maxime enim vi-

(1) *Vers. 21.* Nemini supervacanea videbitur hæc lex, qui cogitat, quam contempti apud multos populos antiquos peregrini fuerint, et apud Ægyptios, qui exterum quemquam ut communi secum mensa cibos sumeret, prorsus indignum ducebant.

detur loqui lex de cooperulis nocturnis, sive vestes eæ sint, sive stragula (2). Est hæc lex non justitie, sed charitatis et misericordie, jubetque ut creditores pauperum debitorem miserentur, et vesperi pignus ab eis acceptum reddant, ut eo noctu uti, seque cooperire possint, mane, si libeat, illud pro pignore relatur. Ita Cajetanus.

Tropologice S. Gregorius lib. XVI *Moral. cap. 11.* Pignus, ait, ante solis occasum reddere jubemur, quia priusquam in nobis per dolorem cordis sol justitie occidat, debemus ei confessionem veniam reddere, a quo confessionem accepimus culpam.

28. DNS NON DETRAHES. — Hebr. *Elohim*, id est iudices, *non utripendes*, aut viles tuis verbis reddes. Ita Chaldaeus. Ita *Eccl. cap. x. vers. 20.* «In cogitatione, ait, tua regi ne detrahas, et in secreto cubiculi tui ne maledixeris diviti» quia magnatibus nihil est occultum, «quia, inquit, et aves cæli portabant vocem tuam, et qui habet pennas annuntiat sententiam» *q. d.* Fama perferet tua maledicta ad ejus aures; facile enim hæc emanant. Nam, ut ait juvenalis, *Satyra 9.*

Secretum divitis illum  
Esse putas? Servi ut taceant jumenta loquentur,  
Et canis, et postes, et marmor.

«Multæ, inquit Xenophon, lib. VIII *Pædina Cyri*, principis sunt aures, multi oculi; et ubique dicere metuntur ea quæ principi non expedit, quasi ipsi audiret; et metuntur facere ei non concordantia, quasi ipse adesset.»

Et Vegetius, lib. II, cap. 5: «Imperatori, ait, cum Augusti nomen accipit, tanquam presentem et corporali Deo fidelis est præstanda devotio, et impendendus pervigil famulatus; Deo enim vel privatus, vel militans servit, cum fideliter eum diligit, qui Deo regnat auctore.»

29. DECIMAS TUAS ET PRIMITIAS TUAS NON TARDABIS REDDERE. — Clare expressit Interpres, quod hebr. generalim et confuse dicitur, *ne tardas offerre plenitudinem tuam et lacrymam tuam*, id est, spicas tuas plenas, et vinum tuum, omneque liquidum, quod pressum lacrymam, id est liquorem distillat; hoc est, ut Chaldaeus, Septuaginta et Noster vertunt, *offerres decimas et primitias tuas*; non enim jubet Deus offerri omnes fruges, sed tantum earum decimas et primitias, uti alibi textus Hebræus exprimit; idque hæc de causa, ait Philo. *De Sacerdotum honoribus*, ut, dum Hebræi assuescent semper alimenti sui partem Deo decidere, nunquam in ejus oblivione

(2) *שְׂרָפָה* et *vers. seq. שְׂרָפָה* sunt synonyma. Utroque nomine vestis significatur super. x. etiamnum in Oriente usitatus, cui corpus involvunt, quo pauperis imprimis noctu utuntur pro tegumento. Cotivius in *Itinerar. Hierosolymit. et Syr. p. 488.* vestes Arabum describens hæc habet: «Tunicis aliam superinduant vestem laxiorem longioreque, ad arcendas pluvias, gelu, cæteraque aëris incommoda aptissimam, qua et noctu in Chanis straguli loco utuntur.»

Vers. 8.  
Lex de  
positi

Triplex  
depositi  
casus ut  
lo.

Vers. 13.

Vers. 15.  
Lex com-  
modati.

Vers. 18.  
Lex de  
maleficiis.

Vers. 23.

Usura  
Hebræis  
vocat  
morsum.  
Cur?

Vers. 26.

Lex de  
dusti.

Lex p-  
gnoria.

Tropologice  
gior.

Vers. 28.

Secretum divitis illum  
Esse putas? Servi ut taceant jumenta loquentur,  
Et canis, et postes, et marmor.

Vers. 29.

Primitias  
danda  
Deo,  
cur?

veniant, sed recordentur hæc sibi a Deo donata esse, utque hoc testentur, dent, imo reddant Deo frugum ejus decimas et primitias.

**Vers. 30.** 30. SEPTEM DIEBUS SIT CUM MATRE SUA : DIE OCTAVA REDDES ILLUM MIHI. — Jubel hic Deus primogenita boum et ovium sibi offerri, octavo die a nativitate eorum, non ante; quia ante octavam diem fetus nimis est tener, et quasi immaturus ac imperfectus, nec satis plene formatus. Ita D. Thomas.

Anagogice, septem diebus manemus in hac vita cum matre Ecclesia, sed in octava die resurrectionis sistetur Domino, remunerationem honorum ab eo accepturi. Ita Rabanus.

**Vers. 31.** 31. VIRI SANCTI ERITIS MIHI, — tum animo, tum corpore, sancte videlicet servando præcepta mea, et cavendo ab omni inquinamento, etiam carnis a bestiis devorate, uti sequitur.

**CARNEM QUE A BESTIA FUERIT PREGUSTATA, NON COMEDETIS.** — Jubel hoc Deus primo, ut Hebreos decentiam et sanctitatem quamdam externam et corporalem doceat. Secundo, ut illos vitam ex ratione degere doceat, quæque nihil feritatis aut barbarie præ se ferat, ait Theodoretus. Tertio, ut illos a cade et furto longius arceat, eorumque aversionem et horrorem eis ingerat (1). Ita Cajetanus.

(1) et Ratio hujus legis facile perspicitur. Insalubris sine dubio est caro pœndis sponte mortuæ, quippe quæ ægra erat: qua ex causa etiam nos talem carnem edere

tanus. Unde S. Ambrosius, *serm.* 12, altius et mystice explicans hanc legem: «Tetrior, ait, bestia est, quisquis sumit quod bestie superavit. Die igitur militi, tu Christiane, cur prædam relictam a prædonibus præsumpsisti? etc. Aiunt plerique lupos leonum subsequi solere vestigia, scilicet ut rabiem suam rapina satient aliena, et, quod leonum saturitati remanet, id luporum rapacitate consumatur, sicut ut isti avaritiæ lupi prædonum vestigia subsecuti sunt; ut quod illorum rapacitati superavit, horum cederet feritati.»

Tropologicè, carnem a bestiis prægustatam Tropologicè edere non licet, id est conversationem et doctrinam animalem, hæretico vel diabolico opere lanianem, Christiano imitari non licet. Ita Rabanus. Rursus, homo captus a diabolo, vel hominibus qui ferinis sunt moribus, et a cultu pietatis extranei, comedendus non est, id est, non est imitandus, sed arguendus. Ita Radulphus in cap. III *Leviti*, et Rabanus.

non solum. Sed accedit alia ratio, cur Israelitæ carne morticina vesci vetarentur: nimirum illa natura regionum, quibus Israelitæ vivebant. Neque in Arabia et Palestina hæc raro invenitur lupi rabiosi, ad quos hydrophobia per morsum propagatur. Animal igitur mortuum et disceptum in agro jacens, vel a lupo, vel vulpe, vel cane rabioso morsum esse, et morbus ille ad hominem, qui tali carne vescitur, propagari potest. Etiam Mohammedes Arabibus suis esse carnium mortuorum interdixit: vid. *Coran*, Sar. v, 4; xvi, 115. Ita Rosenmuller ad h. l.

## CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

*Pergit sanctæ leges judiciales, præsertim de personarum et munerum acceptione. Secundo, vers. 11, subdit ceremonias de sabbato septimi anni, deque tribus præcipuis anni festis. Tertio, vers. 20, promittit eis angelum ducentem et custodem, aliaque bona, si legibus suis obediant.*

1. Non suscipies vocem mendacii, nec junges manum tuam ut pro impio dicas falsum testimonium. 2. Non sequeris turbam ad faciendum malum; nec in judicio, plurimorum acquiesces sententiæ, ut a vero devies. 3. Pauperis quoque non miseraberis in judicio. 4. Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduce ad eum. 5. Si videris asinum odientis te jacere sub onere, non pertransibis, sed sublevis eum eo. 6. Non declinabis in judicium pauperis. 7. Mendacium fugies. Insonentem et justum non occides, quia aversor impium. 8. Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, et subvertunt verba justorum. 9. Peregrino molestus non eris: scitis enim advenarum animas, quia et ipsi peregrini fuistis in terra Ægypti. 10. Sex annis seminabis terram tuam, et congregabis fruges ejus. 11. Anno autem septimo dimittes eam, et requiescere facies, ut corpeant pauperes populi tui; et quidquid reliquum fuerit, edant bestie agri: ita facies in vinea, et in olive tuo. 12. Sex diebus operaberis: septimo die cessabis, ut requiescat bos et asinus tuus; et refrigeretur filius ancillæ tuæ, et advena. 13. Omnia quæ dixi vobis, custodite. Et per nomen externorum deorum non jurabitis, neque audietur ex ore vestro. 14. Tribus vicibus

per singulos annos mihi festa celebrabitis. 15. Solemnitatem azymorum custodies. Septem diebus comedes azyma, sicut præcepi tibi, tempore mensis novorum, quando egressus es de Ægypto: non apparebis in conspectu meo vacuus. 16. Et solemnitatem messis primitivorum operis tui, quæcumque seminaveris in agro. Solemnitatem quoque in exitu anni, quando congregaveris omnes fruges tuas de agro. 17. Ter in anno apparebit omne masculinum tuum coram Domino Deo tuo. 18. Non immolabis super fermento sanguinem victimæ meæ, nec remanebit adeps solemnitatis meæ usque mane. 19. Primitias frugum terræ tuæ deferes in domum Domini Dei tui. Non coques hædum in lacte matris suæ. 20. Ecce ego mittam angelum meum, qui præcedat te, et custodiat in via, et introducat in locum quem paravi. 21. Observa eum, et audi vocem ejus, nec contemnendum putes; quia non dimittet cum peccaveris, et est nomen meum in illo. 22. Quod si audieris vocem ejus, et feceris omnia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, et affligam affligentes te. 23. Præcedetque te Angelus meus, et introducet te ad Amorrhæum, et Hethæum, et Phereæum, Chanaanumque et Hevæum, et Jebusæum, quos ego conteram. 24. Non adorabis deos eorum, nec coles eos: non facies opera eorum, sed destrues eos, et confringes statuas eorum. 25. Servietis Domino Deo vestro, ut benedicam panibus tuis et aquis, et auferam infirmitatem de medio tui. 26. Non erit infœcunda, nec sterilis in terra tua: numerum dierum tuorum implebo. 27. Terrorem meum mittam in præcursum tuum, et occidam omnem populum, ad quem ingredieris: cunctorumque inimicorum tuorum coram te terga vertam; 28. emittens crabrones prius, qui fugabunt Hevæum, et Chanaanum, et Hethæum, antequam introeas. 29. Non ejiciam eos a facie tua anno uno: ne terra in solitudinem redigatur, et crescant contra te bestie. 30. Paulatim expellam eos de conspectu tuo, donec augetis, et possideas terram. 31. Ponam autem terminos tuos a mari Rubro usque ad mare Palestinorum, et a deserto usque ad fluvium: tradam in manibus vestris habitatores terræ, et ejiciam eos de conspectu vestro. 32. Non inibis cum eis fœdus, nec cum diis eorum. 33. Non habitent in terra tua, ne forte peccare te faciant in me, si servieris diis eorum: quod tibi certe erit in scandalum.

**Vers. 1.** 1. NON SUSCIPIES VOCEM MENDACII. — Hebraice, non suscipies auditionem falsitatis, ut videlicet audias calumniam, conanem te in partem et testem calumnie pertrahere.

Vatablus vertit, ne assumas rumorem vanum, vel falsum, q. d. Ne sis auditor falsi rumoris contra proximum tuum, ut fingas in corde tuo quippiam, quo illius fama lædi possit; rursus, non audias, nec admittas talem rumorem.

Dicitur Hebræorum sapientes, non minus peccare eum qui falso delatori auscultat, quam qui falso aliquem defert. Unde eorum hæc est sententia: « Omnis qui maligne traducit aliquem, et quicumque recipit delatorem, omnisque qui falsum testimonium dicit contra proximum suum, dignus est ut canibus projiciatur. »

**Nec junges manum tuam, — non confederaberis, non associaberis te et, ut sis testis iniquitatis et calumnie, dicendo falsum testimonium. Ita Hebræa.**

Sic Pericles amico falsam a se testimonium, quod jurejurando erat sciendum, exigenti, « amicum se usque ad aram esse » respondit. Testis est Plutarchus in *Lacon*. Et Phocion injustum quid postulanti: « Non potes, inquit, Anti-

pater, Phocionem amicum habere et adulatorem. »

« Testis falsidicus, inquit Isidorus, lib. III *De summo Bono*, tribus personis est obnoxius: primo, Deo quem pejerando contemnit; consequenter, judici, quem mentiendo fallit; postremo, innocenti, quem falso testimonio lædit. » Talis falsus testis contra Davidem fuit Doeg, I *Reg.* xxii, 9; et contra Miphiboseth Siba, II *Reg.* xvi, 3; contra Naboth duo subornati, III *Reg.* xxi, 13; contra Jeremiam Jorais, *Jerem.* xxxv, 12; contra Susannam duo senes, *Daniel.* xiii, 54; contra Christum duo illi *Matth.* xxvi, 61; contra Stephanum III *Actor.* vi, 11.

**2. NEC IN JUDICIO PLURIMORUM ACQUIESCES SENTENTIE, UT A VERO DEVIES.** — Hebraice est pulchra peronomasia: *Et non respondebis in illo, ut decimas post multos ad declinandum, sive torquendum, intelligit judicium verum et rectum.*

Socrates, inquit Laertius, lib. II, cap. v, eos qui multitudini imperite fidem habent, aiebat perinde facere, ac si quis tetradrachmum unum contemnens rejiceret, et acervum e similibus congestum probaret reciperetque. Cui non fideret, ei nihilo magis fidendum est in turba simi-

lium; nec enim refert quam multi sint, sed quam graves. Nummus adulterinus etiam in quamvis magno acervo, adulterinus est.

3. PAUPERIS QUAEQUE NON MISEREBERIS IN IUDICIO. — Hebraice, non decorabis pauperem in lite sua, id est, non proteges pauperem, ex praepostera erga eum misericordia, in causa injusta, vel cum ipse revera reus est criminis. Bona enim est misericordia, sed non debet illa evertere iudicium: utrumque enim caligit Dominus. Unde ait Psalmes: « Misericordiam et iudicium cantabo tibi, Domine; » et: « Honor regis iudicium diligit. » Unde et de Christo rege justitiae predictum est, eum venturum « iudicare populum tuum in justitia, et pauperes tuos in iudicio, » Psal. LXXI, 2. Ita S. Augustinus, Quaest. LXXXVIII, et Hieronymus in Psal. XXXII.

Vers. 5. 5. SI VIDERIS ASINUM ODIENTIS TE JACERE SUB ONERE, NON PERTRANSIBIS, SED SUBLEVABIS CUM EO. — Hebraea hic obscura sunt, et varie a variis vertuntur; sed omnium sensus eodem recidit, et cum eo quem reddidit Noster, coincidit. Ad verbum genuine Hebraea sic vertenda videntur: Si videris asinum odientis te jacere sub onere, num cessabis relinquere eum? (onus videlicet, cum pertrans-eundo, q. d. Minime, quin vero) relinquendo relinqueris ei, q. d. Apud eum subsistes, etque ad eum sublevandum, et in pedes erigendum assistes (1).

Posset etiam quis suspicari in Hebraeo mendose legi 17 lo per vau, pro 17 lo per aleph, tumque clarior esset sensus hic, num cessabis relinquere (eum gementem sub onere)? relinquendo non relinques cum ipso, onus scilicet, sub quo gemit. Vides hic dilectionem inimicorum non tantum Christianis, sed et Judaeis fuisse praecipitum.

Vers. 6. 6. NON DECLINABIS IN IUDICIO (id est, condemnationem: est metonymia) PAUPERIS. — Hebraice est, non declinabis (pervertes) iudicium pauperis in causa ejus; ubi iudicium proprie sumitur. Deus ergo qui prius pauperis personam contra aequitatem in iudicio accipit vetuit, hic pariter aequam ejus causam iudicio iniquo perverti prohibet.

Vers. 7. 7. MENDACIUM FUGIES. — Hebraice, a verbo mendacii procul eris (2).

(1) Simplicissima interpretatio videtur haec esse: Quando videris asinum inimici tui succumbentem sub onere suo, et cotueris desistere a remittendo, id est, auxilio destitue, quominus vincula et relaxes: cave, ne ejusmodi criminis fias reus! et contrario relaxando relaxabis ea vincula cum eo inimico tuo. Si 17 pro 17 scriptum sinas, verba hunc sensum fundent: Quando... sub onere suo, tum desistas a relinquendo, cavebis ne relinques eum; non relinques eum cum eo.

(2) Satis versimiliter conjicit Clericus, quum hic sermo de alicuius iudicis sit, horum verborum hanc esse significationem, iudici cavendum esse, ne falsa rei expositione deceptus innocentem damnet, aut nocentem absolvat. Neque hoc imperitia ac temeritate iudicis solet evenire, sed multo saepius quando affectibus obcaecati judicant.

INSONTEM ET JUSTUM NON OCCIDES. — Hinc recte colligunt doctores Theologi, iudicem non posse occidere eum quem scit esse innocentem, qui tamen in iudicio per falsos testes probatur esse nocens. Alii tamen contrarium docent, atque sic exponunt: « Non occides innocentem et justum, » qui scilicet in foro tuo est justus, quia iudice probatur esse innocens, vel saltem non probatur esse nocens: quibus Chaldaeus favet dum verit, et eum qui fuerit justificatus, et egerit justus a iudicio, non occides.

QUIA AVERSOR IMPIUM. — Hebraice est, quia non justificabo impium, id est, quia condemnabo et aversabor impium, qualis est qui insontem occidit: est liptote, cui similis est Exodi ix, 7, q. d. Si impie justum et insontem occideris, fiet hominibus videaris esse justus, mihi tamen eris impius, teque aversabor ut impium.

8. NEC ACCIPIES MUNERA, QUAE ETIAM EXECECANT PRUDENTES (Hebraice videntes, qui scilicet apertos habent oculos mentis, id est sapientes), ET SUBVERTUNT VERA JUSTORUM. — Haec verissima et usu probatissima est sententia, unde aenigma:

Mutnega cum murua faciunt reclusissima curva.

Lege retrograde, et videbis mutnega esse argentum, murua esse aurum.

Idipsum censuerunt Gentiles. Audi Poetam: Vincita est etiam sapientia laetra.

Et Plutarchus, lib. De Iside: Thebis, inquit, iudicum imagines visuntur absque manibus, et summi iudicis oculi convitent: eo quod justitia nec muneribus capiatur, nec hominum vultu flectatur. Et Themistius: Verus, inquit, princeps est, qui auro est inexpugnabilis. Hinc et Dion dixit oportere principem magistratu descendente, non diftorem, sed clariorem evadere.

Memorable exemplum praebuit Martius Carinus Dentatus, senator Romanus, cui ad focum sedenti, cum Sannites ingens auri pondus attulissent, eo repudiato, libere asservit: « Memento me nec acie vinci, nec pecunia corrumpi posse: neque enim praclarum est aurum habere, sed iis qui aurum habent, imperare, » testis est Cicero in Catone, et Plutarchus in Apophtheg., qui et addit Curium tunc, cum legali venerunt, rapa coxisse, illisque demonstratis dixisse, se auro opus non habiturum, quando tali cibo contentus vixerit.

Hic similes fuerunt Fabii, qui legali ad Ptolemaeum regem missi, munera quae ab eo privati acceperant, in aerarium prius quam legationem referrent ad senatum, detulerunt.

Inler fideles illustres fuit Samuel iudex populi, ut patet I Reg. xii, 3. E contrario filii ejus a declinaverunt post avaritiam, acceperuntque munera, et perverterunt iudicium, I Reg. viii, 3; ideoque officio privati sunt, iudiciumque et regnum in Saulem translatum est.

Hoc saeculo emittit B. Thomas Morus, iudex

Vers. 8.

Judicio abstinere aut muneribus.

Apophthegmata et examplia.

aequissimus, munerum et opum contemptor. Quadam vice vidua, cui litem adjudicavit, obtulit ei poculum aureum; ille accepit quidem, sed vino replens ei praebuit, et reddidit; atque, ut alia omittam quae cap. 17 et vii Vite ejus narrantur, illud admirabile est, quod, cum a prima etate magnis in re publica muneribus esset perfunctus, adeoque totius regni fuisset Cancellarius, cumque amplam haberet familiam tamen tota vita annuum censum non auxit ultra septuaginta aureos annuos. Quid hic dicent illi, qui paucis annis augent ad decem, imo viginti millia?

9. PERGRINO MOLESTUS NON ERIS: SCITIS ENIM ADVENARUM ANIMAS, — quis scilicet animus, quis affectus sit peregrino, cum se a suis destitutum inter exteros et ignotos invenit, quam scilicet arcto, timido, dejecto, pavido, suspensio, verecundo, tristi sit animo: ut proinde afflicto afflictionem addere non debeatis, cui satis penae est quod sit peregrinus.

QUIA ET IPSI PERGRINI FUISTIS IN TERRA AEGYPTI, — quia scilicet experti estis quam sit miseranda conditio peregrini: nemo enim ita misero succurrere paratus est, quam qui fuit miser; hinc aiebat Dido:

Non ignara mali miseris succurrere disco.

Vers. 10 et 11.

10 et 11. SEX ANNIS SEMINABIS TERRAM TUAM, ET CONGREGABIS FRUGES EJUS: ANNO AUTEM SEPTIMO DIMITTES EAM, ET REQUIESCERE FACIES — a messe, non autem a semine, inquit aliqui, q. d. Anno septimo seminabis agrum, sed non metes. Ita S. Augustinus, Quaest. LXXXIX. Verum dico utrumque hic vetari anno septimo, scilicet tam seminationem quam demessionem terre: hoc enim clare dicitur Levit. xxv, 4: « Septimo, inquit, anno agrum non seres. » Itaque observatum fuisse apud Hebraeos testantur Josephus et Hebraei. Idem indicant hic et Hebraea. Erat enim hic annus septimus sabbatum terrae, id est, plena quies terrae, uti septima dies erat sabbatum, id est, quies hominum.

Saxit hoc Deus, ut scilicet annus septimus esset sabbatum terrae, primo, ad hoc, ut Hebraeos elementiae admoneret etiam erga inanima, quales sunt agri, utque a nimia hujus vite cura et varitia eos abduceret; secundo, ut terra hoc septimo quietis anno, quasi resumpto vigore deinceps feracior foret: illa enim de causa etiam nostri rustici, statis temporibus quiescere sinunt agros, ut postea majori cum faenore fruges referant; tertio, ut septimus ille quietis annus esset symbolum et memorial. creationis terrae rursumque omnium, uti erat et dies septimus, puta sabbatum, Genes. ii, 3; utque ipsa vocatio terrae esset velut mercus habitationis, et quasi redemptio ab eo cuius est, id est, ab ejus creatore Deo, inquit S. Augustinus, Quaest. LXXXIII in Levit. Sicut enim feudatarius pro feudo domino feudi hominagium et stata jura persolvit, ita Hebraei

Annus septimus erat sabbatum terrae.

quasi pro feudo terrae suae, Deo hominagium hoc sabbati terrae persolvebant; quarto, ut pauperes septimo illo anno agri fructibus gauderent: eo enim anno fructus agrorum erant communes, ut patet hoc versu.

Dices: Si anno septimo nihil licebat serere, quid metere poterant pauperes?

Respondeo: Metebant id quod ex granis deciduis sexti anni segetis succerevat, et quidquid olerum et herbarum per se terra profert: unde Levit. xiv, 5: « Quae sponte, ait, nascuntur, non metes, » id est, non omnino resecabis, idque ad hoc, ut et servus et peregrinus, et animalia, ut ibi dicitur, et pauperes, ut hic dicitur, partem ejus colligant. Ita Abulensis. Atque hac parte lex haec sabbati terrae, alias caeremonialis, erat et judicialis: ordinabatur enim ad commodum pauperum.

Tropologia anni septimi eadem est quae sabbati, de qua Deuter. v, 12.

13. ET PER NOMEN EXTERNORUM DEORUM NON JURABIS, NEQUE AUDIETUR EX ORE VESTRO. — Iubet, non ut eos non nominemus, sed ne eos deos vocemus, et quasi deos in testes invocemus, jurando per eos, inquit Tertullianus, lib. De Idololatria, cap. xix (1).

Judaei hic superstitiosi, imo blasphemii sunt: nolunt enim legere aut pronuntiare nomen Salvatoris nostri Jesus; quod si forte casu illud vel legere, vel sonare contingat, seipsum mullant, colaphumque ori impingunt; aut si sonant, legunt, vel scribunt, dicunt Ihsu, illudque per litteras initiales ita exponunt: יהוה שבו סגורו ימאחא schema usichro, id est, delatur nomen ejus et memoria ejus. Hoc est odium istorum caecorum et miserorum in Jesum Christum, quod proinde merito luunt perenni exilio et excidio.

15. SEPTIM DIEBUS COMEDES AZYMA, TEMPORE MENSIS NOVORUM, — puta in mense Nisan, quo egresus es ex Aegypto, quando in terra sancta et Aegypto novae fruges hordeaceae maturescunt. Vide supra cap. xiii, vers. 4.

NON APPAREBIS IN CONSPECTU MEO VACUUS. — Praecipit hic Deus oblationem cuique accedenti ad tabernaculum vel templum, tanquam religionis actum pertinentem, tum ad cultum sibi debitum, tum ad Levitarum sustentationem. Verum quia Judaea erat vasta, et multi remoti a Jerusalem et templo habitabant, tradit Lyranus eum remotis dispensatum aliquando fuisse in Pentecoste, et in festo Tabernaculorum. Vide Istellam in Exodi cap. xxxiv, ubi ait: Lex haec solos viros obligabat, non feminas, ut patet ex eo omne m isculinum; ergo et filios et servos. Unde Christus d uodennis ascendit ad templum, ut hanc legem a rrvaret, Lucae cap. ii, vers. 42 (2).

(1) Sentiant multi, per hanc legem prohiberi, non modo jurare per nomen falsorum deorum, sed etiam eorum nomina omnino commemorare: ita enim fert textus hebraicus.

(2) Hac lege Israelitae monebantur, ut in animum sibi

Vers. 13.

Vers. 15. Festum Azymorum.

Tropologicae, accedentes ad Deum plenos misericordiae, et virtutum aliarum manipulos afferre decet; ita exaudiuntur. Vide S. Chrysostomum, hom. 1 in II ad Timoth. 1.

16. Er (custodias, celebrabisque) SOLEMNITATEM MENSIS PRIMITIVORUM OPERIS TUI, QUAEQUOQUE SEMINAVERIS IN AGRO, — id est, et Vatablus: Servabis diem festum mensis primitivorum fructuum operis tui, quos seminasti in agro, hoc est, celebrabis festum Pentecostes, illoque panes ex prima messe triticea factos mihi offeres, sicut in Paschate obtulisti spicas hordei maturescentes; in Pentecoste ergo exigit Deus primitias omnium frugum, id est, totius messis triticeae, de quo plura Levit. XXIII, 17.

Paris primitiarum allegorice significabat Eucharistiam, inquit S. Ireneus, lib. IV Contra haeresim, cap. XXXII.

SOLEMNITATEM QUOQUE IN EXITU ANNI, QUANDO CONGREGAVERIS OMNES FRUGES TUAS DE AGRO. — Haec solemnitas ea est qua postea dicta est scenopoeie, qua tabernacula figebant, in iisque habitabant per septem dies in memoriam et gratiarum actionem protectionis divinae, qua Deus Hebraeos duxerat et protegerat in deserto peregrinantes et habitantes in tabernaculis per 40 annos.

Celebrabatur hoc festum decimo quinto die mensis septimi, durabatque per septem dies.

Ex hoc loco patet aliud fuisse anni sacri, aliud vero anni vulgaris ante egressum ex Aegypto initium, quod inceperat etiam usque Hebraei in rebus civilibus, ut dixi cap. XXII, vers. 1.

Cepit ergo annus vulgaris a mense vel novilunio, quod proximum erat aequinoctio autumnali (sicut annus sacer incipiebat a Nisan, puta a mense aequinoctii vernali); quod si septimus mensis, qui Tisri dicebatur, proximior erat aequinoctio huic autumnali, tunc ille erat anni principium: sin autem octavus mensis, qui Marchesuan dicebatur, proximior esset illi aequinoctio, is erat primus anni mensis; hoc autem facile fieri poterat, v. g. si aequinoctium vernalis incidere in plenilunium, vel paulo ante illud, tunc Nisan, sive primus mensis erat illa eadem lunatio, et 14 dies Nisan erat in aequinoctio pariter et plenilunio: nam quia menses lunares minores sunt solaribus, hinc in multis mensibus (puta 32) solaribus exerescit insuper unius lunaris; cum ergo sol sex mensibus suis a) uno aequinoctio ad aliud decurrat, hinc casu jam posito fiebat ut mensis septimus solaris, in quem incidebat aequinoctium, concurreret tunc mense octavo lunari.

Unde dicit, «in exitu anni,» id est, circa exitum anni: poterat scenopoeia ante finem anni vulgaris celebrari, si nimirum annus inciperet ab octavo mense; poterat et post finem anni revocantur, Deum esse regem suum, coram quo in Oriente mentis sine donis comparare licitum est. Cf. Elixium, Var. Hist. lib. I, cap. XXXI. Ita Allioi ad h. l.

Initium anni vulgaris quod?

Tabernaculum

teris, et sub initium novi anni celebrari, si videlicet annus inciperet a mense septimo.

Maluit autem dicere Moses «in exitu,» quam in principio anni (quod utique dicere potuisset: quod enim finis est anni precedentis, illud et initium est anni sequentis), ut causam festi indicaret, quae erat gratiarum actio pro omni frugum genere, tam ex agris quam hortis et vineis percepto, anno illo elapso. Accessit postea et alia causa, videlicet memoria protectionis divinae in deserto, ubi in tabernaculis habitaverant; unde et postea nomen tabernaculorum festo est inditum, de quo plura Levit. XXIII, 42 (1).

17. TER IN ANNO APPAREBIT OMNE MASCULINUM TUUM CORAM DOMINO, — nimirum tribus jam dictis solemnioribus anni festis, puta in Paschate, Pentecoste et festo Tabernaculorum, Deuter. cap. XVI, vers. 16 (2).

Allegorice S. Basilus, in cap. I Isaiae: Fidem, inquit, SS. Trinitatis exigit Deus; nam, ut ait Glossa, in Paschate immolatur Filius, in Pentecoste datur Spiritus Sanctus, in collecta frugum potentia creatoris Patris signatur.

Tropologiam peto a Rabano.

CORAM DOMINO, — id est coram arca vel coram tabernaculo, si arca ab eo separata esset, ut factum est cum Philistini tempore Heli arcam ceperunt, et post reductam arcam, multo deinceps tempore arca fuit separata a tabernaculo; tunc quoque Hebraei non coram arca, sed coram tabernaculo sacrificabant, suaque festa celebrabant.

18. NON IMMOLABIS SUPER FERMENTO, — cum fermento, sed cum azymis tantum, ut purum et infermentatum sit sacrificium; de quo plura in Levitico (3).

NEC REMANEBIT ADEPS SOLEMNITATIS MEAE USQUE MANE. — «Adeps solemnitatis meae,» id est adeps sacrificii in honorem meum, vel in solemnitate mihi dicata oblatus: illa enim mea est solemnitas qua mihi sacrificatur; jubet ergo hic Deus ut, cum sacrificatur et mactatur victima, simul statim quod in ea praecipuum et pinguisimum est, adeps videlicet recens, sibi adoleatur et comburatur.

19. NON COQUES HAEDUM IN LACTE MATRIS SUAE. — Chaldaeus vertit, non comedes carnem cum lacte unde et aliqui Hebraei, teste Gregorio Veneto, in Problem. 442, more suo sic vertunt, non comedes

(1) Festa illa ab omnibus Israelitis uno tempore et uno in loco celebranda, sine dubio quae vincula esse debebant, quibus artius iungerentur singula illius populi tribus. Qui enim sacra communia habent, et ea communiter eodem in loco celebrant, illi vix divelli possunt in plures republicas, sed fodus inter se coguntur servare. Hanc rationem etiam adtingit Josephus, Antiq. lib. IV, cap. vii, § 7.

(2) Hoc pertinet ad theocratiam. Deus describitur tanquam rex, quem subditi ter quotannis salutatum irent.

(3) Sermo est de agno et sacrificio paschali, quod ex Hebraei vocant פסח, victima, quia praecipuum hoc eorum sacrificium est. Ita Allioi.

Vers. 17.

Vers. 18.

ensum post carnem, quia carnium in caseo mala est consuetio.

Secundo, alii apud Vatablum per hypallagum sic interpretantur, q. d. non coques, nec comedes haedum cum matre lactante, q. d. Satis tibi sit comedere haedum, absteinea a matre: hoc enim videtur crudelis; sic praecipit Deus comprehendenti pullos in nido dimittere matrem, Deuter. XXII, 6.

Tertio, Abulensis, Lyranus, Cajetanus et S. Thomas, II, Quaestione CII, art. 5, ad 4, simpliciter hoc praecipit ut sonat accipiunt, ut scilicet prohibeatur haedus coqui, sive, ut hebraice est, lixari in lacte materno, ne quod haedo erat in delictis, vertatur in tormentum (1).

Quarto et optime, Vatablus et Oleaster sic exponunt: Ne coques haedum in lacte matris, id est, ne occidas et coques haedum lactentem, quamdiu sugit lac matris: hoc enim significat ille hebraismus. Probatur haec expositio: nam nusquam consuetudo fuit, haedos proprie in lacte materno lixare, ut Judaeis hoc prohibendum foret: ergo haec verba eo sensu quem jam dedi, accipienda sunt; secundo, quia hic sensus optime respondet allegoriae, ut mox dicam; tertio, quia ita intelligunt S. Chrysostomus, homil. De Innocentibus, S. Augustinus, Quaest. XC. Ad litteram ergo vetuit Deus occidi ad esum teneros haedos vel agnos (agnum enim vertunt Septuaginta, et par videtur esse ratio haedi et agni), ut Hebraeos doceret humanitatem et benignitatem erga homines, quando etiam circa bruta eam praecipiebat, jubebatque eos compati peccandibus suis, et aversari ac horrere crudelitatem in eas, praesertim in tenellos agnos et haedos, qui sui commiserationem omnibus movent, dum jugulantur.

Dico «ad esum,» nam Levit. XXII, 27, dicitur quod octavo die poterat haedus, agnus et vitulus offerri Domino; atque omnino loqui videtur de oblatione per jugulationem et immolationem: in sacrificiis enim victimarum etiam tenellarum, Deo per sacerdotes immolatis, nulla erat species crudelitatis; hanc enim purgabat et excludebat religio.

Judei ita superstitione hanc legem observant, ut in eadem olla carnes et lac coquere nolint, imo nec eodem cultro carnes et caseum scindere sibi licere putant, sed diversis utuntur: atque

Dico «ad esum,» nam Levit. XXII, 27, dicitur quod octavo die poterat haedus, agnus et vitulus offerri Domino; atque omnino loqui videtur de oblatione per jugulationem et immolationem: in sacrificiis enim victimarum etiam tenellarum, Deo per sacerdotes immolatis, nulla erat species crudelitatis; hanc enim purgabat et excludebat religio.

Judei ita superstitione hanc legem observant, ut in eadem olla carnes et lac coquere nolint, imo nec eodem cultro carnes et caseum scindere sibi licere putant, sed diversis utuntur: atque

(1) Ita et Bochartus Hieroz. P. I, lib. II, cap. LV, Alii, et quidem plurimi, quibus acquiescit Rosenmullerus, probant sententiam Spenceri, de Leviticis Moysi rituali. P. I, lib. II, cap. vii, sect. 3, existimantis, superstitionem quandam gentium hic interdicere; auctores enim esse ipsos Hebraeorum doctores, Zabios, seu Sabios, astrorum cultores, in his sermibus, quae post messem celebrare solebant, haedum in lacte matris coxisse, et deinde ritibus magicis adhibitis, eo lacte aspersisse arbores, agros et hortos, quod crederent, eos feraciores sequenti anno fore. Alia hujus loci explicatio, quam affert Michaelis in Jur. Mosae. P. IV, p. 200, nimis quaesita est, et ab ea perspicua aliena, quam Moses, ut sapiens legislator, alias in legibus consignandis semper solet adhibere.

de hac caeremonia justum librum conscripserunt, quo docent quid liceat, quid non liceat in esu carnis et lactis.

Allegorica et praecipua causa hujus legis fuit, ut significaretur Christum infantem et lactentem non posse occidi, sive ab Hebraeo, sive a Judeis, ante aetatem maturam et tempus praefinitum a Patre. Ita S. Augustinus et Chrysostomus supra. Moraliter docet haec lex teneris et infirmis compati, eorumque infirmitatem tolerare.

Tropologicae, haeretici coquunt haedos in lacte matris. Lac enim caprae foetide, id est haereseos, est eorum impia doctrina: in hac coquunt illi haedos, id est discipulos suos, aeternis postea ignibus in inferno recoquendos. Lac enim hoc vertitur eis in aeternum tormentum. Ita aliqui: quamquam haec tropologia non satis consonet allegoriae jam datae.

20. ECCE EGO MITTAM ANGELUM MEUM, QUI PRAECEDAT TE. — Per angelum hunc primo, Cajetanus intelligit ipsum Moysen; secundo, alii intelligunt Josue, quia hic introduxit Hebraeos in terram promissam: ita Justinus Contra Tryphonem, folio 38, et Eusebius, lib. IV Demonstr. evang. cap. XXVIII, et Rabanus; tertio, Rupertus hic, et S. Athanasius, lib. De Communione Patris et Filii et Spiritus Sancti, ante finem, et Hesychnus, lib. VII in Levitico cap. XVI, folio 653, putant Filium Dei hic angelum vocari, quia additur: «Et est nomen meum (puta Dei) in illo,» q. d. Equae dicitur Deus ut (2). Sed haec allegorico potius sensu quam litterali dixit Rupertus, uti solet, aequae ac Hesychnus, et Athanasius; quarto ergo et genuine, angelus hic verus fuit et merus angelus, presens nimirum exercitus Hebraeorum: ille enim praibat eis viam in columna nubis per diem, et ignis per noctem; ille etiam nomine Dei praecipiebat Mosi et Hebraeis; ille denique pugnabat rebelles. Hunc angelum probabile est fuisse Michaelem, qui Daniel. x, vers. ult., vocatur presens populi Israel. Hic enim olim praerat Synagoga Judaeorum, uti nunc praest Ecclesiae Christianorum.

Et CUSTODIAT IN VIA. — Nota hic nomen angeli custodis totius populi, ejusque quinque officia: primum est, «praecedet te;» secundum, «custodiet in via;» tertium, «introducet in locum quem praeparavi,» puta in Chanaan; quartum, «non dimittet cum peccaveris,» q. d. Si pecces, puniet te; quintum, «est nomen meum in illo.» Eadem applicari possunt angeli custodi cujusvis hominis.

Nis rara exempla custodie et opis angelicae? Accipe omnia S. Scripturae suo ordine primo, Cherubim custodiant paradisum, ejecto Adamo peccatore, versantque gladium flammearum, Gen. III, 24: angeli enim purissimi summe vel fugiant,

(2) Allioi quoque, cum plerisque veteribus significari hic existimat Angelum increpatum, id est, Filium Dei, qui missus fuit a Patre, ut populum Israeliticum duceret, et tueretur, eique optime consuleret. Cf. Brach. De Harmonie entre l'Eglise et le Synag. tom. II, p. 408 sq.

Vers. 20. Angelus Hebr. quis? Josue scilicet. S. Athanasius. Tertio.

Quarta et vera, fuit S. Michaelis.

Angeli custodia officia quinque.

Exempla cujusdam.



vel fugant impuros peccatores. «Sicut fumus apes, et fotor columbas fugat: sic miserabile et putidum peccatum repellit vita nostra custodem angelum,» inquit S. Basilius, et ex eo Maximus, serm. *De peccato; secundo*, angelus profugam Agar reduxit ad Saram ueram suam, *Genes. xvi. 7; tertio*, angeli tres Abrahe promiserunt filium Isaac, *Gen. xviii. 10; quarto*, duo angeli eduxerunt Lot ex Sodomis, et Sodomitas igne caelesti concremarunt, *Gen. xix; quinto*, angelus consolatus est Agar, et Ismaeli sibi morienti puteo ostenso, vitam servavit, *Gen. xxi. 17; sexto*, angelus stitit gladium Abrahe, volentis immolare Isaac, *Gen. xxii. 14; septimo*, Jacob vidit ascendentes angelos et descendentes per scalam, ad suam open, *Gen. xxviii. 12; octavo*, angelus docuit Jacob modum, per virgas varicolores producendi fetus sibi ex pacto debitos, *Gen. xxxi. 11; nono*, angeli deduxerunt Jacob ex Mesopotamia in Chanaan, *Gen. xxxii. 1; decimo*, angelus interposuit se inter castra Hebræorum et Pharaonis, illa illuminans et deducens per mare Rubrum, hæc obtenebrans et submergens, *Exodi. xiv. 19; undecimo*, angelus deduxit Hebræos per desertum in Chanaan, *Exodi. xliii. 20; duodecimo*, angelus locutus est per os asinae, et corripuit Balaam, *Num. xxi. 22; decimo tertio*, angelus consolatus est Hebræos ab hostibus afflietos, *Judic. ii. 1; decimo quarto*, angelus roborat Gedeonem ad bellum contra Madian, *Judic. vi. 11; decimo quinto*, angelus promittit Manue filium Samsonem Nazareum, *Judic. xiii. 9; decimo sexto*, angelus percussit Jerusalem peste, ob numeratum a Davide populum, *II Reg. xxiv. 16; decimo septimo*, angelus confortavit Eliam pane, ut ambularet per quadraginta dies ad montem bei Horeb, *III Reg. xix. 3; decimo octavo*, angelus misit Eliam ad Ochoziam regem, ut ei prædiceret mortem ob cultum Beelzebub, *IV Reg. i. 3; decimo nono*, angelus percussit 183 millia Assyriorum, *IV Reg. xix. 35; vigesimo*, Raphael Tobiam deduxit et reduxit, curavitque ei Saram uxorem, ut patet ex *Tobia; vigesimo primo*, angelus Judith custodivit, et direxit ad cædem Holopheris, *Judith. xiii. 20; vigesimo secundo*, angelus tres pueros in fornace Babylonia ab igne defendit, *Daniel. iii. 49; vigesimo tertio*, angelus conclusit ora leonum, ne devorarent Daniele, *Daniel. vi. 22; vigesimo quarto*, angelus Gabriel ostendit Danieli, 70 hebdomade occidendum esse Christum, *Daniel. ix. 21; idem varia futura circa reges Syriæ et Egypti eidem revelavit, cap. xi; vigesimo quinto*, angelus tutatus est, et vindicavit pudicitiam Susanne, *Dan. xiii. vers. 33 et 39; vigesimo sexto*, angelus rapuit Habone, ut ferret prandium Danieli in lacu leonum, *Luce. xiv. 33; vigesimo septimo*, angelus Zacharie, cap. ii, iii, iv, v, vi, vii, varia mysteria revelavit; *vigesimo octavo*, angelus hastam vibrans præcessit castra Judæ, deditque victoriam, *II Machab. xi. 8.*

Jam in novo Testamento angeli Christo nato

coenerunt: «Gloria in excelsis Deo,» suaserunt fugam in Ægyptum, indeque reditum, ministrarunt Christo post tentationem, confortarunt Christum in agonia, Christi resurrectionem nuntiaverunt: angelus Petrum e carcere eduxit, rapuit Philippum apud eunuchum, Cornelio jussit vocare Petrum, Paulum cum suis naufragio liberavit, denique S. Joanni crebro apparet Apocalypsin revelavit.

21. NEC CONTENDENDUM PUTES. — Hebraice, nec eum ad amaritudinem provocos, vel, de amarus sis, inobediens et rebellis in eum.

ET EST NOMEN MEUM IN ILLO. — Hebraice, in medio ejus, q. d. Angelus hic meum nomen, personam, auctoritatem et voluntatem præfert; unde Chaldaeus verit, quoniam in nomine meo est verbum illius, q. d. Quidquid angelus hic præcipit, hæc nomine meo præcipit (1). Merito ergo Albas ille in *Vitis Patrum*, lib. VII, cap. XLIV, rogatus quænam esset quotidie ejus exercitatio, respondit: «Ego angelum meum assistentem mihi juxta me exspecto, et custodio memetipsum, quod scriptum est reminiscens: Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi ne commovear. Timeo ergo eum, ut custodierem vias meas, et quotidie ascendentem ad Deum, et insinuantem actus meos et verba.»

24. NON FACIES OPERA EORUM. — Hebraice, non facies secundum opera eorum, ut nimirum exiites iis lucos, fana, aras, statuas, adinstar eorum que invenies et videbis in Chanaanæ, sed ea inventa destruas.

25. BENEDICAM PANIBUS TUIS ET AQUIS. — q. d. Affatim cibi et potus vobis præbebo; tales enim erant promissiones veteris Testamenti, ait S. Augustinus, *Quest. XCII.*

26. NUMERUM DIERUM TUORUM IMPLEBO. — q. d. Faciam ut sanam longamque habeatis senectatem, et moriamini saturi et pleni dierum; e contrario de impiis dicitur *Psal. liv. vers. ult.* quod «non dimidiabunt dies suos (2).»

28. EMITTENS CRABRONES FRIGUS, QUI FUGABUNT HEVÆUM. — Per crabrones S. Augustinus, *Locut. 101*, et Eusebius Cæsarensis intelligunt aculeos formidinis et timoris quibus prostrati sunt Chananæi, adventantibus Hebræis, tam facile, ac si vesperæ et crabrones eos dejecissent (3). Verum quia timoris hic aperta mentio præcessit, hinc distinctius et melius per crabrones, veros crabrones ac-

(1) Nomen Dei est Deus ipse, ut sæpe alias, v. g. *Levit. xxiv. 11; Deut. xxxiii. 58.* Ita Drach, op. cit. tom. I, p. 168.

(2) Pro occidam, hebr. est *perituro, laetum*, ut Septuaginta, ab  $\text{קָטַל}$ . Hieronymus legisse videtur  $\text{קָטַלְתִּי}$ .

(3) Ita et Rosenmullerus. Ratio est, quia *Jos. xxiv. 11, 12*, eodem phrasia adhibetur de expulsionis duorum regum Amorrhæorum; *Jos. x* autem, ubi hæc historia narratur, nil dicitur de crabronibus, sed de terrore Chananæis immisso et de grandine magna inter fulgura et tonitrua delapsa. Atqui, majoris momenti fuit hæc res, si evenit, quam ut tantum obiter adtingeretur. Alter Munk, qui per *sirah, Jos. xxiv. 12*, intelligit crabrones, gal. *frelona.*

ceptemus, quia ita etiam vocantur *Deut. vii. 20*, et tales inimicos fuisse Chananæis docet Josue cap. ult., 12. Idem patet *Sop. xii. 1*, ubi sic ait Sapiens: «Missi antecessores exercitus tui vespas, ut illos (Chananæos) paulatim exterminarent: non quia impotens eras bestis sevis eos exterminare.» Præmisit ergo Deus ante Hebræos crabrones, qui infestarent, debilitarent et attriverunt Chananæos, ut ipsi postea ab Hebræis facilius vincerent et delerentur.

29. NON EJICIAM EOS A FACIE TUA ANNO UNO, NE TERRA IN SOLITUDINEM REDIGATUR. — Hinc patet amplam et fertilem fuisse Chananæam, utpote quæ a sexcentis millibus Hebræorum ita coli non poterit, quin magna adhuc restaret ejus solitudo bestis implenda, et feris hominibus nocituris, nisi Chananæi in ea multis in locis remansissent.

Fuit et alia causa, cur non statim gentes illæ exterminatæ sint a Deo: videlicet quod Deus voluerit in eis erudire Israel, ut dicitur *Judic. iii. 1*, ne scilicet Israel otio torperet, sed bellum assidue gerens non diffuaret luxu, idolorum cultura et societate cum Gentibus; discretque Deum colere metu hostium, illi soli servire, et in eum ut victorie datorem sperare. Sed hanc causam tacet hic Deus, ne imbellem populum pacique assuetum hoc belli timore dejiciat.

Allegoriam horum omnium de Ecclesia Gentium domitricæ, vide apud Rupertum.

31. PONAM AUTEM TERMINOS TUOS A MARI RUBRO USQUE AD MARE PALESTINORUM, ET A DESERTO USQUE AD FLUVIUM. — Deus hic secundum quatuor mundi plagas, terram promissionis Hebræis a se dandam limitat: nam ipsa ad Meridiem habet mare Rubrum, quasi limitem, ad Occidentem habet mare Palestinorum, sive ejus accolæ sunt Philistinii, quod est mare Mediterraneum: unde et Occidentem Scriptura sæpe per mare significat. Versus Orientem habet deserta Arabiæ, quæ inter eam et Ægyptum interjacent. Ad Septentrionem denique habet fluvium Euphratem, qui per antonomasiam dicitur fluvius.

Ponit Deus hos terminos Hebræis, ut sciant amplitudinem terræ promissæ, et ad eam anhelent: quanquam sua culpa et de merito ea tota potius non sint, nisi paucis Salomonis regni tempore, quo tamen non fuerunt ab eis cultæ et habitatæ,

sed tantum subactæ et vectigales factæ illæ regiones eorum, quæ ab hostibus jam pridem fuerant occupatæ et inhabitatæ.

33. SI SERVIVENS DUS RONUM. — Moraliter dicit, sive idola ejusque, sunt ejus cupiditates. Ergo disce hinc peccatores servire peccato miseram servitutem. Audi Claudianum:

Si metuis, si prava cupis, si ducaris ira,  
Servitii patiere jugum, tolerabis iniquus  
Interius leges: tunc omnia jura tenabis,  
Si poteris rex esse tui.

Et alium:

Solus peccator servit male, qui licet amplio  
Utatur regno, sat miser est famulus:  
Cum mens carnalis, nimium dominante tyranno,  
Tot servit sceptris, debita quot vitis.

Et Senecam, *epist. 47*: «Alius, inquit, libidini, alius avaritiæ, alius ambitioni servit, omnes timori: nulla servitus turpior est quam voluntaria.»

Et S. Hieronymus, *epist. ad Simplicianum*: «Stultus, ait, esto imperet, servit propriis passionibus, servit suis cupiditatibus, quarum dominatio nec nocte, nec die fugari potest, quia intra se dominos habet, intra se servitium patitur intolerabile.»

Et S. Ambrosium, lib. II *De Jacob et vita beata*: «Servit, ait, quicumque metu frangitur, vel delectatione irretitur, vel cupiditatibus ducitur, vel indignatione exasperatur, vel mœrore deicitur. Servilis enim est omnis passio.»

Et S. Augustinus, lib. IV *De Civit. iii*: «Bonus, ait, etiamsi serviat, liber est; malus autem, si regnat, servus est; nec unius hominis, sed, quod gravius est, tot dominorum, quot vitiorum.»

QUOD TIBI CERTE ERIT IN SCANDALUM. — quod scilicet peccare, sive peccatum idololatriæ Chananæorum erit tibi in scandalum, hebraice *in laquesum*, id est, in ruinam et interitum: erit enim causa tuæ ruine et excidii.

Polest etiam pronomen quod refertur more Hebræo ad id quod præcessit, videlicet «non habitent in terra tua:» hoc enim proprie Judæis erat scandalum culpæ, non pœnæ, quia erat eis occasio idololatriæ.